
SIGILLVM ACADEMIÆ HARVARDIANÆ IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIÆ

[redacted]

Moriz

MAURICII HAUPTII

QUAESTIONES

Q. Valerius Catullus

CATULLIANAE.

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

A. MDCCCXXXVII.

1837

In Q. Valerii Catulli carminibus etiam post praeclaram Caroli Lachmanni curam, qua omnium quotquot bene de eis promereri studuerunt grammaticorum conatus longe superasse mihi videtur, complura inveniri quae nondum sint in pristinam integritatem restituta, quid mirum est in eo libro cuius quae esset recta emendandi ratio idem ille Lachmannus luculento primus exemplo demonstravit? Nam qui ante eum in renovanda pulcherrimorum carminum elegantia operam posuerunt, etsi multa eos optime emendasse nemo infitiabitur, tamen nondum explorato artis et laboris quasi fundamento fieri non potuit quin ad falsam saepe opinionem laberentur et certae viae ignoratione longius a fine aberrarent. Atque ipse Iosephus Scaliger, cum non contigisset ei ut exemplar nancisceretur melioris generis, quem ad modum Tibulli carminum vetusto codice usus est quem ab Iacobo Cuiacio acceperat, non potuit librorum fidem et auctoritatem accuratius inquirere, nedum potuerint alii qui minus Scaligero in arte valebant. Praeterea multi, cum scirent omnia carminum Catulli exempla ex uno aliquo codice non ita pridem transcripta esse, ingenio potius quam librorum pervestigatione confidendum esse existimaverunt. Nam saeculo a Chr. n. decimo quarto repertum esse forte

fortuna antiquum horum carminum, quae diu delituerant, codicem atque inde propagatam esse haud exiguam exemplarium multitudinem inter omnes constat: ceterum ubi ille codex inventus fuerit, quo anno, a quo homine, hoc vero magnam habet dubitationem et nisi novum lumen appareat videtur esse inexplicabile. At videor tamen mihi operae pretium facturus esse, si componam omnia quae in hac causa aliquid momenti habere possint.

Isidorum Hispalensem Catulli carmina novisse caput duodecimum libri sexti originum monstrat et accedit fortasse aliud indicium, de quo alicubi dicam postea: deinde per aliquot saecula non videntur esse lectitata. Nam quo tempore lexica conscripta sint in quibus Catulli versus XXXIX, 11 (p. 20, 29) et LIV, 5 (p. 27, 4) illustratos esse Scaliger narrat aeque ignoramus atque originem glossarii Pithoeani, in quo dum *placor* explicatur (p. 71 Gothofr.), *plangor*, Catulli vocabulum, ex carm. LXIV, 273 (p. 51, 10) affertur. Sed saeculo nono Ratherius in sermone quodam suo (opp. p. 639) '*quid de me dicere,*' inquit '*quid valeo cogitare (et ut turpia subsilens honesta solum, prohibita licet, depromam), si in lege dei, ut debitorem me fore non nescio, die (non) meditor ac nocte, Catullum numquam antea lectum, Plautum quando iam olim lego nec lectum* (scr. *lego lectum*), *musicam quando saepe rogatus expono?*' Usus fuerat hoc sermone Ratherii ante quam opera eius ederent Ballerini (Veronae a. 1765) Scipio Maffeus commemoraveratque hanc narrationem Veronae illustratae parte 2, p. 7 ed. a. 1731. Quo anno et ubi terrarum Ratherius ista scripserit non potui indagare brevi illo tempore quo Ballerinorum libra

uti mihi licuit. Atqui conduceret scire. Si quis enim secum reputet illa tempestate antiquarum litterarum studio Galliam maxime floruisse vicinamque partem Germaniae, facile suspicetur Ratherium, monachum olim coenobii Lobiensis, quod ad dioecesin Cameracensem pertinebat, postea per aliquod tempus episcopum Leodiensem, Gallico Catulli carminum codice esse usum. Et habet haec opinatio aliquid firmamenti. Etenim carmen Catulli LXII legitur in codice Parisino regio quem olim Thuanus possedit scriptumque esse perhibent saeculo decimo. Idem liber praeter alia Ovidii halieutica continet et partem cynegeticorum Gratii. Quorum carminum codicem antiquissimum Actius Sincerus Sannazarus in insula Lugdunensi sanctae Barbarae invenit inventumque in Italiam secum asportavit. Atque cum hoc Sannazari libro, servato nunc in bibliotheca augusta Vindobonensi, ubi eum ante aliquot annos diligenter pertractavi (dicam autem de eo accuratius cum correcta inde edam Ovidii et Gratii carmina, quod faciam propediem) tantopere convenit illi Parisino codici ut multis indiciis utrumque eadem fere olim continuisse atque ex eodem exemplo descriptum esse appareat. Et Sannazari quidem codicem olim Nemesiani quoque cynegetica comprehendisse paene certum est. Sic rursus quodam modo congruit quod quem unum multis saeculis Nemesiani mentionem facere novimus, sed ita novimus ut puerorum institutioni Carthaginiensis poetae carmina in Gallia adhibita esse simul intellegamus, Hincmarus est, episcopus Remensis. Nihilo minus probabilius est Ratherium Catulli librum, non lectum a se antea, Veronae invenisse, cuius urbis episcopus per biennium fuit inde ab anno

DCCCCXXXI et iterum aliquamdiu ab anno D
nisi portavit eum secum Veronam. Nam c
therium Catulli carmina iterum ita delituis
Dante quidem Aligerio Inferni libro quarto
potuerint, Veronae rursus apparent. Noti
vento libro versiculi qui in multis codici
atque a Lachmanno editioni suae praeposit
versus a quo scripti sint doceri videmur a
germanensi, in quo haec eis inscriptio add
sus domini Benvenuti de Campexanis
de resurrectione Catulli poetae Verone
huic codici librarius imposuit anno '1376
bri 19° *quando Casignorius laborabat*
mis.' Benvenutum illum Campesanium,
aetate haud ignobilem, Ferretus Vicetinus
de morte eius quarto (Mur. rer. It. scr.
vita excessisse ait cum '*Mille trecentenis*
minaverat annum Tertius,' quo signi
MCCCXXIII Iosephus Georgius Meinert
annal. litt. Vindob. vol. 54 app. p. 16.
est, mortuum esse Benvenutum ante annum
Eo enim anno, pridie cal. Iun., Albertinu
Patavinum obiisse chronicon Cortusiorum
Mur. rer. It. scr. 11): atqui ad Mussatum
tum de morte Benvenuti carmen scripsit.
mina Meinertus ante annum MCCCXIV in
lata esse sumit propterea quod cum eo an
lauream accepisset ab academia Patavina gr
ret carmine, quod editum cum reliquis ei
cura Osii et Pignorii Graevius repetiit the
6 vol. 2, haec inter alia dixit

Carmine sub nostro, cupidi lasciva Catulli
Lesbia, dulce tibi nulla susurrat avis.

Verum de hac opinione nihil temere affirmaverim. Potuit haec Mussatus ex Martialis carminibus 7, 14 et 14, 77 petere. Nam inventa initio saeculi quarti decimi carmina per complures annos plerosque ita latuisse ut nemo eorum faceret mentionem tam mihi incredibile est ut suspicarer reperta ea esse circa medium illud saeculum, nisi obstaret quod Benvenuto ascribuntur illi versiculi. Raphael quidem Volaterranus, qui anno MDXXI, suae aetatis anno septuagesimo, obiit, cum diceret comm. urb. libro 14 (p. 515 ed. Francof.) '*Hic liber* (Catulli) *una cum Quintiliano repertus fuit aetate nostra laciniosus mendosusque*,' minus accurate locutus est: sed neque codex Catulli carminum adhuc repertus est qui priore saeculi XIV parte scriptus esse videretur et neminem quem ea legisse certum sit invenimus ante Guilielmum Pastrengicum sive Veronensem. Ex cuius libro qui est de originibus rerum, quem quo anno scripserit Guilielmus ignoro quidem, sed non puto scripsisse ante annum MCCCL, excerpsi omnia quae ad Catullum pertinerent. Edidit illum librum Michael Angelus Blondus Venetiis a. MDXLVII. Quo rariora autem eius inveniuntur exempla, eo magis omnes litteras servandas esse censui. Dicit igitur Guilielmus Pastrengicus p. 16ᵃ '*Bencius Longobardus gente, patria Alexandrinus, Caiusgrandis* (scr. *Canis grandis*) *primi, inde nepotum cancellarius, magnae litteraturae uir, omnium historiographorum scripta complectens et a mundi constructione exordium sumens cunctarum gentium nationum regum populorumque omnium*

5½-82

[redacted]

Moriz

MAURICII HAUPTII

QUAESTIONES

Q. Valerius Catullus

CATULLIANAE.

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

A. MDCCCXXXVII.

1837

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera nec cuiquam trita venena dedit,
Nec nos sacrilegi templis admovimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.

Putabat Wunderlichius *facta nefanda* sive *impia* vocari impetus grassatorum et latronum, latissimam vocabulorum significationem insolenter admodum coartans. Verum Dissenus et dudum Heynius intellexerunt Lygdamum hoc versu

Nec cor sollicitant facta nefanda meum

antecedentem facinorum commemorationem complecti et concludere, ut haec dicat 'neque omnino feci quicquam nefandi, nec verbis deos irritavi:' sequuntur enim haec

Nec nos insanae meditantes iurgia mentis
Impia in adversos solvimus ora deos.

Apud Catullum autem Dissenus *factis impiis* praeter latronum rapinas etiam caedes et incendia et quicquid praeterea violentorum facinorum dolis opponi possit significari opinatur. Incendia certe vir doctissimus re diligentius circumspecta non commemorasset; sed ne in reliqua quidem eius interpretatione acquiescendum esse existimo: quamquam in tali aliqua explicatione omnes acquievisse videntur grammatici. Largior *facta impia* et *dolos* sibi ita posse opponi ut simplex illud et generatim positum *dolorum* vocabulum *factis* violentiae, quippe quae contraria est insidiis, significationem attribuat; at specialiter dictos *dolos veneni* illi vocabulo istam quam per se non habet violentiae notionem impertire posse nego. Manifestum est enim non doli tum, sed veneficii potiorem esse in cogitando rationem. Atqui veneficia a factis impiis separari vel opponi adeo eis plane

non possunt. Nam sive impia generatim putas dici scelesta, ad nefanda et impia facinora profecto etiam veneficia pertinent; sive restrictiorem et magis propriam esse censes impiorum factorum significationem, ab impiis maxime propinquis dolos veneni parari sponte intellegis. Quare aut caedem apertam doloso veneficio opponi debere existimo, aut mentionem fieri eorum quae omnium maxime hic commemoranda videntur, furtorum. Hoc enim potissimum, fures non timeri ab eo qui nihil possideat. Itaque Horatius in simili causa furum omnium primum meminit, serm. 1, 1, 76 ss.

An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Quae cum ita sint, *furta impia* scribendum censeo, translaticii erroris mutatione lenissima. Sic carmine LXVIII, 140 (p. 66, 1) *furta Iovis*, quae verba omni dubitatione carent, in Santeniano aliisque nonnullis libris conversa sunt in *facta Iovis*, plane ut hic commissum est, si recte divinavimus. Referuntur in hoc carmine omnia ad turpem Furii parentumque egestatem. Non incendia timent, nihil enim possident quod igne consumatur; non ruinas, nam vacua domus est, ut etiamsi corruat, nullam tamen comminuere possit supellectilem; non furta, neque enim ullius rei damnum facere possunt; non veneficia, nam nihil habent cuius cupiditate haeres aliquis impius flagret. Denique alii casus periculorum generatim adduntur rectissime. Ceterum ne quis furta potius quam rapinas, violentiora et formidolosiora facinora, commemorari miretur, generali furtorum

appellatione comprehenduntur etiam rapinae. Gaius inst. 3, 209 '*qui res*' inquit '*alienas rapit, tenetur etiam furti. Quis enim magis alienam rem invito domino contrectat quam qui rapit? Itaque recte dictum est eum improbum furem esse.*' Eadem fere leguntur inst. Iust. 4, 2, ubi scriptum est *quam qui vi rapit.* Eum qui vi rapit improbum furem esse his verbis primus dixisse videtur Salvius Iulianus, quantum colligere licet ex eis quae in dig. 47, 8, 10 ex Ulpiani libro 56 ad edictum excripta sunt '*Iulianus scribit eum qui vi rapuit furem esse improbiorem, et si quid damni coactis hominibus dederit, utique etiam Aquilia posse teneri.*' Et potest quidem illud comparativum vocabulum *improbiorem* primo aspectu videri aptius: nihilo minus *improbum*, quod Gaius servavit, verius esse duco. Quem ad modum enim *fures* tam saepe dicuntur *mali* ut hoc adiectivum quasi perpetuum furum epitheton sit, quode scite quaedam annotavit F. A. Wolfius ad Horatii versus quos supra attuli, ita eum qui rapit improbum furem Iulianus appellavisse videtur, non quo peiorem esse diceret fure, sed ut communi utrumque improborum nomine complecteretur. Itaque uti *mala furta, malae rapinae* dicuntur saepius, veluti in carmine Priapeo quod olim inter Catulli carmina numerabatur undevicesimum, ita eadem significatione *furta impia* Catullum dixisse arbitror. Gravius vocabulum elegit eadem ratione qua malos poetas *impios* appellavit carm. XIV, 7. (p. 9, 1). Atque quos improbissimos esse vult significare, ironia usus *piissimos* dixit carm. XXIX,

Nam hoc restituendum esse Lachmannus sagaciter

admodum intellexit. A cuius sententia eatenus discedo ut cum ille in reliqua oratione, quem ad modum a codicibus tradita est, acquiescat illudque adiectivum ea ratione qua amorem patriae debitum saepissime significat dictum existimare videatur, probabilius equidem credam aliud eiusdem versus vocabulum emendatione indigere, adiectivi autem a Lachmanno investigati latiorem esse significationem. Sed de hoc carmine nihil quod utile sit disputari potest, nisi temporum ratio antea exploretur diligentius. Valerium Catullum, scriptorem lyricum, Hieronymus scribit Veronae natum esse olympiadis CLXXIII anno II, h. e. anno ab u. c. DCLXVI, quo anno L. Cornelius Cinna et Cn. Octavius consules erant. Deinde idem Hieronymus ad olympiadis CLXXX annum IV, qui erat annus ab u. c. DCXCVI, haec ascripsit *Catullus tricesimo aetatis anno Romae moritur.* Errasse Hieronymum dudum animadverterunt grammatici, nec potest ea de re ulla esse dubitatio, cum carmine LII Catullus consulatum Vatinii commemoret:

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius:
Quid est, Catulle? quid moraris emori?

Constat enim Vatinium exitu anni DCCVI cum Q. Fufio Caleno consulem creatum esse. Ascripsi verba Dionis Cassii 42, 55. *ταῦτα ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει, ἐν ᾧ δικτάτωρ μὲν ὄντως αὐτὸς τὸ δεύτερον ἦρξεν, ὕπατοι δὲ ἐπ᾽ ἐξόδῳ ἀποδειχθέντες ὅ τε Καλῆνος καὶ ὁ Οὐατίνιος ἐλέγοντο εἶναι, ἐποίησεν.* Apparet igitur Catullum post annum DCXCVI decimo minimum anno adhuc vixisse. Verum Iosephus tamen Scaliger ultra

quam satis est Catulli vitam produxit, cum diceret animadv. ad Eus. p. 155 Catullum ludos Augusti saeculares spectasse, quos Censorinus 17, 11 narrat factos esse C. Furnio C. Iunio Silano coss. anno DCCXXXVI (hic enim numerus est in collato a me codice Gorliciensi, eumque recipio, quoniam in tota hac quaestione numeros fastorum Capitolinorum sequor). Id perspicuum esse ait Scaliger ex Catulli carmine saeculari. 'Quare enim' inquit 'carmen saeculare scripsisset, nisi in annum ludorum saecularium incidisset?' Ego vero in carmine XXXIV nihil plane deprehendere possum quod saeculare carmen prodat. Itaque perdidit operam Isaacus Vossius, cum nodum, qui ne est quidem ullus, eo expedire conaretur ut anno etiam DCC vel DCCV ludos saeculares celebratos esse coniiceret. Deinde abusus est Scaliger, ut Catullum ultra tempora triumviratus vixisse et Virgilio iam florenti notum et familiarem fuisse persuaderet, versibus quibusdam Martialis, qui cum Silio Italico libellos suos mitteret, excusationem quaesivit his verbis (4, 14, 13 s.)

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Sed rectius alii intellexerunt nihil plane Scaligeri sententiae ex his versibus accedere firmamenti, sive putaverit Martialis familiarem fuisse Catullum Virgilio, sive, quod veri videtur simillimum, temporum rationem nihil curaverit. Deinde quod Scaliger opinatus est victoriae Mundensis a Catullo mentionem fieri, id quo iure fecerit postea declarabimus. Nunc illud asseveramus, in Catulli carminibus nihil commemoratum inveniri quod post consulatum Vatinii accidit. Quare iure nostro non multo post annum urbis DCCVI tempore Catullum mortuum

esse existimabimus. Et continet profecto illud carmen quod supra ascripsi quandam quasi mortis praesensionem fractique animi et cui vitae pertaesum est affectum. Quo circa cum errasse quidem Hieronymum in definiendo eo anno quo mortem obiisset Catullus manifestum ducerem, sed causam erroris quaererem et simul illud mecum reputarem, tricesimo aetatis anno Catullum e vita excessisse eo minus posse dubitari, quo magis solent Hieronymi rationes etiam ubi in singulis annis erratum est summam veritatis continere, et quo credibilius est transcripsisse eum illam narrationem ex Suetonii libro qui erat de viris illustribus, haec cum considerarem atque ex his difficultatibus memet expedire adhuc studerem, ecce Caroli Lachmanni perspicacitas omnem rem dilucide explicavit. Duos videlicet consulatus Lachmannus Hieronymum confudisse suspicatur, Cn. Octavii Cn. f. et Cn. Octavii M. f., ita ut, cum Catullum natum dicere deberet anno olymp. CLXXVI primo sive ab u. c. DCLXXVII, quo anno Cn. Octavius M. f. et C. Scribonius Curio consules erant, referret natalem eius annum ad consulatum Cn. Octavii Cn. f. et L. Cornelii Cinnae, h. e. ad annum ab u. c. DCLXVI sive ad annum II olympiadis CLXXIII. Deinde, ut congrueret Suetonii narratio, mortem Catulli ad annum IV olympiadis CLXXX sive ad annum ab u. c. DCXCVI rettulit. Verum si Catullus natus erat anno ab u. c. DCLXXVII mortemque obiit tricesimo aetatis anno, mortuum eum esse apparet anno DCCVII. Sic omnia rectissime conveniunt. Sequitur ut doceam in carmine XXIX nihil inesse quod his rationibus adversetur. Ac primum quidem cum socerum et generum, h. e. Caesarem et Pompeium, Mamurrae

gratia omnia perdidisse Catullus criminetur, consentaneum est ut ante apertam eorum simultatem et inimicitiam hoc carmen scriptum esse sumamus. Aliter vix in utrumque poeta invectus esset nec dicere potuisset Mamurram ab utroque foveri. Haec enim vera explicatio videtur illorum verborum *quid hunc malum fovetis?* Deinde etsi satis intellego concedendam esse poetis quandam a communi dicendi consuetudine declinationem, tamen sine probabili causa hac explicandi opportunitate equidem non utar. Itaque cum reliqua congruant, aio scriptum esse hoc carmen ante mortem Iuliae, h. e. ante annum ab u. c. DCXCIX, quo anno consules erant L. Domitius Ahenobarbus, Appius Claudius Pulcher. Dicendi consuetudinem eam intellegi volo, qua Cicero usus est cum sic loqueretur pro Sestio c. 3 (6) *ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et benevolentiam non ademit.* Quod si quis dicat consulto Ciceronem oppositionem quaesivisse, fatebitur, opinor, nulla eius modi adduci eum potuisse causa ut his verbis uteretur de or. 1, 7 (24) *dici mihi memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse: venisse eodem socer eius qui fuerat Q. Mucius dicebatur et M. Antonius, homo et consiliorum in re publica socius et summa cum Crasso familiaritate coniunctus.* Itaque quod dixit Catullus *eone nomine, socer generque, perdidistis omnia?* si dixisset post bella civilia, neglecta esset propter acumen communis dicendi ratio, quem ad modum, ut unum de multis similibus proferam, Virgilius bellorum civilium immanitatem pulcre describit his verbis Aen. 6, 828

Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois:

nunc cum omnia clament scriptum esse hoc carmen ante initium belli civilis, nulla cogitari posse videtur causa quae permoverit Catullum, ut deflectens a vulgari consuetudine socerum generumque diceret Caesarem et Pompeium post mortem Iuliae. Iam videamus quo modo reliquis carminis versiculis, quorum explicatio accuratam temporum pervestigationem requirit, cum eis quae adhuc disputavimus conveniat. Acerbissima decoctoris Formiani, aeque ac Pompeii et maxime Caesaris obiurgatio his verbis concluditur

Parum expatravit an parum elluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliae timet et Britanniae.
Quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine urbis opulentissime
Socer generque, perdidistis omnia?

Praedam Ponticam Iosephum Scaligerum, cum quattuor triumphorum, quos Caesar anno urbis DCCVII egit, Catullum meminisse diceret, praedam a victo Pharnace relatam intellexisse manifestum est. Qua explicatione carminis rationem perturbari ea, quae supra a me disputata sunt demonstrant. Nec tamen melius Isaacus Vossius lucrum et emolumentum intellexit quod Caesar e Bithynia ex contubernio M. Thermi praetoris et fami-

liaritate Nicomedis regis rettulit. Quae prima fuit Caesaris militia. Sed prima Pontica illa praeda vocatur, non Bithynica: deinde praedae nomine istud emolumentum eo minus recte diceretur, quo magis propria in eis quae sequuntur illius vocabuli significatio obtinetur: denique illa prima stipendia cum Caesar fecerit annis ab u. c. DCLXXII et DCLXXIII, nimium temporis intervallum interiectum esset inter hanc praedam et eam quae proxime commemoratur, Hiberam. Itaque mihi quidem praeda Pontica nulla videtur esse alia quam divitiae illae maximae quas Pompeius ex bello Mithridatico reportavit atque magnificentissimo triumpho anno u. DCXCII populo monstravit. Deinde Hiberam praedam non esse, uti Scaliger voluit, spolia ex victoria Mundensi reportata cum ex temporum ratione sequitur, tum inde quod Tagus a Munda longissime abest. Quod cum intellexisset Vossius, recte docuit praedam Hiberam praedam vocari belli Lusitanici, quod gestum est a Caesare anno ab u. c. DCXCIII, L. Afranio, Q. Caecilio Metello coss. Pertinent huc quae Plutarchus de Caesare narrat c. 12 ἀπηλλάγη τῆς ἐπαρχίας αὐτός τε πλούσιος γεγονὼς καὶ τοὺς στρατιώτας ὠφεληκὼς ἀπὸ τῶν στρατειῶν καὶ προσηγορευμένος αὐτοκράτωρ ὑπ' αὐτῶν. Sequuntur apud Catullum haec

Nunc Galliae timet et Britanniae,

manco versu et statim in capite depravato. Nam cum puris iambis hoc carmen Catullus scriberet, semel quidem eam legem migravit, sed cum iustissima excusatione. Etenim Mamurrae nomen, cuius primam syllabam produci versus docent Horatii serm. 1, 5, 37 et Martialis 9, 60, 1. 10, 4, 11, aliter plane tacendum ei erat.

Nihil est quod alterius illius versiculi dissimilitudinem excuset. Quare et huic vitio succurrere et syllabae damnum sarcire haud inscite studuit Lachmannus, quum scripsisse Catullum coniceret:

Time Britanniae, hunc timete Galliae.

Quamquam numerorum integritas restitui etiam potest sic conformata oratione:

Timete Galliae, hunc time Britannia.

Atque si argutiis aliquid dicere licet, commendatur haec ratio eo quod pluralia verba *timete* et *facetis*, ad diversos relata, minus pulcre sese excipiunt. Sed utcunque hoc videbitur, illud docemur eum hoc versu, tum maxime versibus quarto et duodecimo, scriptum esse hoc carmen post primam Caesaris expeditionem Britannicam. Aggressus est autem Caesar Britannos primum anno ab u. c. DCXCVIII, Cn. Pompeio, M. Licinio Crasso coss. Post alteram expeditionem hos iambos scriptos esse non crediderim. Postquam enim Caesar vere anni ab u. c. DCXCIX, L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulchro coss., iterum in Britanniam navigasset, et parte insulae in potestatem redacta tributum imperasset obsidesque accepisset, cum iam in eo esset ut in Galliam rediret, allatus ei est nuntius excessisse ex vita Iuliam. Digna sunt quae adscribantur verba Plutarchi Caes. 23 ἤδη καταλαμβάνει γράμματα μέλλοντα διαπλεῖν πρὸς αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἐν Ῥώμῃ φίλων, δηλοῦντα τὴν τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ τελευτήν, τελευτᾷ δὲ τίκτουσα παρὰ Πομπηΐῳ. Itaque ob ea quae supra disputavi existimo equidem scripsisse hoc carmen Catullum anno ab u. c. DCXCVIII vel ineunte anno proximo. Si cui secus videtur, concedat tamen necesse est scriptum esse ante

initium bellorum civilium. Quare in ultimis eius versibus mendum Lachmannum latuisse arbitror, cum aliud vitium praeclare emendaverit. Codices haec habent:

Eone nomine urbis opulentissime
Socer generque perdidistis omnia?

Ab Italis profectum erat *opulentissimae.* Sed explorate percepit Scaliger inepto adiectivo numeros perverti, nec commode fieri urbis mentionem, quamquam cum scriberet *imperator unice*, secare nodum quam solvere maluit. Egregium mihi videtur Lachmanni *o piissima.* Proba et antiqua vocabuli forma. Nam Cicero quidem or. Phil. 13, 19 (43) '*tu porro*' inquit '*ne pios quidem, sed piissimos quaeris et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis.*' verum memorabilia sunt quae Pompeius grammaticus dicit p. 181 K. 'Pius piissimus *duos habet gradus, positivum et superlativum. Quamquam et hoc* piissimus *vituperat Cicero in Philippicis. Dicit* '*non potest* piissimus *dici per rerum naturam.*' *Insultabat Antonio.* '*Tu*' *ait* '*utere semper hoc verbo piissimus.*' *Tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris, laboravit vehementissime et de epistolis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero* piissimus. *Scit quoniam amaritudine rhetorica hoc ei placuerat, ut diceret* '*non potest per rerum naturam dici* piissimus.' Itaque *o piissime* sagaciter indagatum puto, nisi quod dubitari potest scripseritne Catullus *o piissimei*: sed *urbis* explicare non possum, praesertim cum ante bellum civile haec scripta esse persuasum habeam. Quae cum ita sint, existimo Catullum omnium praedo-

rum et expeditionum, quarum commemoratio antecesserat, in fine carminis quasi summam collegisse gravissimis verbis, hoc modo:

Eone nomine urbis, o piissimi,
Socer generque perdidistis omnia?

Piissimos dicit quos intellegi vult improbissimos, ne quid amplius quaeras. Sic acerba obiurgatio vehementi, ut par est, irrisione concluditur. In vocabulis *orbis* et *urbis* saepissime a vero aberraverunt librarii, saepe etiam grammatici alterutrum male attentaverunt. Dico hoc propterea, ut concessa huic disputationum generi digrediendi licentia Taciti quaedam verba a mutatione defendam et simul emendem. Etenim in dialogi capite 6 haec leguntur: *Illane tanta ingeniorum opinio ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa omnium rerum abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere?* In his *urbis*, Pithoei inventum, Lipsius probavit: mihi gravius vocabulum nihil videtur habere quod displiceat. Sed *senes*, nisi fallor, gradationem, quales in eodem capite inveniuntur plures, prorsus pervertit. Quocirca *senatores* Tacitum scripsisse arbitror.

Carminis LXI versu 46 s. (p. 30, 26) poeta Hymenaeum laude praedicans haec dicit, si codices sequimur,

Quis deus magis amatis
Est petendus amantibus?

Servavit haec Lachmannus, non quod tolerabilia iudicaret, sed quia emendandi conatus quos critici adhuc paraverunt merito aspernabatur. Nam ut *amatis*, quo

metrum corrumpitur, tollere dudum quidem operam dederant grammatici, sed frustra. Quippe litterarum similitudinem unice aucupantes, dum mendorum labem eluere student, novam intulerunt sententiae. Cum enim *optimis*, Avantii inventum, a litterarum formis sic leviter quidem commendari, significatione autem suo iniquum esse viderent Statiique *ad macris* iure deriderent, acquieverunt fere in quadam Baptistae Guarini suspicione. Ego vero non diffiteor hunc communem complurium hominum doctorum assensum mirum mihi videri indignumque arte critica. Scribendum enim putavit Guarinus *magis ac magis*. Sed quis est qui nesciat *magis ac magis* dicendi formulae similiumque omnium hanc esse vim ut comparativi gradus iteratione incrementum rei et progressionem significent. Itaque hoc diceret poeta: *quia deus increscente studio amantibus petendus est?* id quod ineptum est hoc quidem loco, ubi simplex *magis* requiri et ipsius sententiae ratione satis demonstratur et eis quae statim consequuntur *quem colent homines magis caelitum?* Consultius certe erat repudiata hac Guarini suspicione Scaligerum sequi, quem eius mediocrior attingere non potuit. Etenim Scaliger scribendum coniecit *magis ah magis*. Quae coniectura eo maxime nititur quod suspicabatur vir summus in prisco exemplari scriptum fuisse *a macis*. Atque *amacis* in codicibus sese invenisse narrat Passeratius; verene an secus, quis dixerit in hac tanta *c* et *t* litterarum similitudine? Scaligeri autem inventum propterea nequit probari quod doloris quandam vel miserationis indignationis admirationis alienam ab hoc versu significationem infert. Itaque alio modo huic carmini opitulandum est. Et videor mihi invenisse ali-

quam corrigendi rationem qua et sententiae fiat satis neque litterarum formam nimis immutari intellegat si quis us et ae elementorum similitudinem reputaverit. Existimo enim Catullum sic dixisse

Quis deus magis anxiis
Est petendus amantibus?

Quantum verborum haec est explicatio *quis deus alius est quem magis anxie*, h. e. *magis sollicite et studio ferventiore petant amantes?* Eadem ratione dixisse videri potest Catullus carm. LXIV, 203 (p. 48, 20) *Supplicium saevis exposcens anxia factis*, quamquam maesti potius animi sollicitudinem ibi hoc vocabulo significari puto. Sed usurpatur *anxius* etiam in re minime tristi aut formidolosa, nec de exilii tantum studio, quae tritissima est significatio, sed quacumque de omni flagitantis vel optantis cupiditate. Eo modo et his Catullum hoc vocabulo usum esse contendimus et usus est Columella carm. de cultu hortorum v. 423 *Sed iam maturis flagitat nos anxius uvis Euhius.* Similiter apud Iuvenalem 10, 80 populus Romanus panem et circenses *anxius optat* atque Apuleius Asini libri alterius initio *anxium* se praedicat et *nimis cupidum cognoscendi quae rara miraque sunt.* Plura anquirere taedet. Unum addo, in Trinummo Plautina 3, 2, 26, ubi haec leguntur

Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem
enixe expeto,

cum vetus Camerarii codex *rēnonixe*, decurtatus cum *etiam* habeat, *enixe* contra *anxie*. Pareus invenit, etsi id per se dictum est rectissime, cum librorum auctoritate, tum allitteratione in arte Plautina minime

neglegenda satis superque sumitum esse. Ad augendam coniecturae a me factae probabilitatem atque ut eis satisfaciam qui in tali re singula quaeque curiosius riman-
tur hoc addo, in antiquis codicibus rudi quadam scribendi ratione hic illic c additum inveniri x litterae ipsumque hoc *ancxiis* saepius me legisse. Itaque si vitiosa haec abundantia Catulli quoque versum olim obtinuit, ex *ancxiis* totidem litterarum apicibus constans *anxiis* fa-
cillime potuit oriri. Illud memorabilius est, *anxiis* reposito longam in finem versus syllabam reduci, cum magis brevi syllaba versiculum terminaret. Scio fuisse qui hanc licentiam tragicorum poetarum Graecorum exem-
plo excusarent, quos constaret nonnumquam in fine ver-
suum glyconeorum brevem syllabam vel hiatum neglecta numeri perpetuitate admisisse. Hoc vero minime constat. Ubicunque enim poetae tragici glyconeorum versuum syste-
mata hiatu vel brevi syllaba interrupisse nonnullis hodie videntur, ibi aut emendatione opus est, quam plerum-
que in promptu satis habemus, aut aliter versus ordi-
nandi sunt, ut nullam glyconeorum versuum similiter quasi decurrentium perpetuitatem quaesivisse poetas appareat. Praeterea tragicorum poetarum comparatione nihil efficitur in lyrico Catulli carmine. Qui cum accurate componeret glyconeos versus suos ad Graecorum exemplar poetarum, quos sane in omni versuum faciendorum artificio presse secutus est, sed lyricorum, spreta Aeolensium licentia ad severam Anacreontis normam sese accommodasse vide-
tur. Etenim Anacreon, quantum ex eis quae hodie de eius carminibus supersunt coniicere possumus, nec poly-
schematistos fecit hos versus (nam in eis quos Dio Chrysostomus, vol. 2 p. 94 R., conservavit, mutato

verborum ordine scribendum esse ἐμπλοκῇ κορυφῆς ὀρθῶς plerique intellexerunt), neque hiatu aut brevi syllaba systematum tenorem interrupit. Apud Catullum autem leguntur hi versus 121 (p. 33, 7) *Ite, concinite in modum*, 143 (p. 33, 27) *Abstinere, sed abstine*, 153 (p. 34, 7) *Ne petitum aliunde eat*, 158 (p. 34, 12) *Quae tibi sine fine erit*, 163 (p. 34, 17) *Omnia omnibus annuit*, 168 (p. 34, 22) *Rasilemque subi forem*, 173 (p. 34, 27) *Totus immineat tibi*, 178 (p. 35, 2) *Flamma, sed penite magis*, 183 (p. 35, 7) *Iam cubile adeant viri*, 188 (p. 35, 12) *Collocate puellulam*; hos igitur versus, etsi incipiuntur a vocali littera, non turbare numerorum perpetuitatem manifestum est. Sequitur enim unum quemque horum versuum intercalaris illa exclamatio *o Hymen Hymenaee io*; nam prius *io* in *o* mutandum esse cum exemplari Aldino anni MDII assentior Lachmanno. Aliud autem hiatus exemplum, quod olim v. 192 (p. 35, 16) inveniebatur, Parisini codicis auctoritate atque indicio quodam libri Santeniani admonitus transpositis *est* et *tibi* vocabulis rectissime idem Lachmannus sic emendavit ut scriberet

Uxor in thalamo tibi est
Ore floridulo nitens.

Unicum igitur quod superesse videatur in omni hoc carmine interruptae continuationis metricae exemplum in stropha quae tertia est a fine reperitur. Ibi haec leguntur

Sit suo similis patri
Manlio et facile insciis
Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.

Itaque hoc uno loco numerorum perpetuitatem a Catullo, insigni versuum faciendorum artifice, perturbatam esse existimabimus? Secus nobis videtur: quamquam quae supra proposita sunt scribenda esse *Manlio*, est et *Sed pudicitiam*, solum illud inutile (et prae vulgata languidum), hoc prorsus intolerabile est. Nimirum ut puerulus matris pudicitiam ore indicet, id nulla alia re fieri quam quod patris simillimus est facile intellegitur. Tantum abest igitur ut adversativa particula cogitationi poetae congruat, ut eam penitus pervertat, simplex autem copula necessario requiratur. Quocirca eam istam quidem numeros restituendi rationem nullo modo probare possem nec alia melior succurreret multumque de ea re cogitanti, nescio quo pacto in talem aliquando delatus sum sententiam ut suspicarer Catullum priores tris strophas versus numeri perpetuitate inter se coniunxisse, ut systema essent vel, si hoc mavis, unus versiculus, deinde novo initio facto addidisse Priapeum, hoc modo:

Sit suo similis patri Manlio et facile insciis no-
scitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae matris indicet ore.

Sed mature tamen hanc suspicionem abieci. Lubricum enim videbatur propter unum aliquem versiculum novam et nullo exemplo commendatam rem comminisci: deinde tam consimilis est glyconeorum versuum ortus inde versus Priapeus, ut mirarer hiatu eum vel brevi syllaba ab antecedentibus numeris glyconeis esse separatum: denique si haec metri conformatio Catullo placuisset, non usus esset, opinor, synaloephe, cum diceret in carmine XXXIV (p. 18, 9 ss.)

Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine Romulique,
Antique ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

Quare quid de illis carminis LXI versibus statuendum sit, integrine sint an, quod multo credibilius, depravati, et qua ratione emendari debeant, lectoribus diiudicanda relinquo. Etsi enim numerorum continuatio permutatis inter se duorum versiculorum terminationibus ita restitui posse videtur, ut scribatur

et facile omnibus
Noscitetur ab insciis,

quo facto *insciis* substantivi significationem acciperet, satis tamen intellego eum ordinem quo in libris verba collocata sunt, ut usitatus magis est, ita etiam concinna orationis venustate longe multumque praestare.

Progredior ad poema LXII, quo nitidissimo carmine Catullum Sapphus epithalamia imitatum esse scita est Isaaci Vossii (p. 189) coniectura. Id cum alia probabile reddunt, tum maxime comparationes, quarum magna est cum Sapphus quibusdam versibus similitudo. Illud autem percommode accidit quod, cum in ceteris Catulli carminibus, si ab exiguo versuum ab aliis scriptoribus Latinis commemoratorum numero discesseris, omnis critici cura unius codicis, deperditi nunc, sed libris Datano et Santeniano aliisque horum similibus diligentia universe fere pari, in singulis diversa expressi, fundamento nitatur atque a reliquis ibi tantum auxilium requirendum sit, ubi proborum exemplarium depravatio coniecturam postulat, in hoc uno carmine gravissima accedit auctoritas

codicis Parisini regii 8071, antiquissimi illius quem olim Thuanus possedit. Eius exemplar accuratissime factum Friderici Duebneri, v. cl., benevolentiae debeo possumque inde quae Lachmannus attulit partim corrigere partim accessionibus augere. Itaque scriptum est in codice Thuani p. 37, 2. *pinguis* 7. *Sic cerint es.* 10. 30. *equalis* 15. *convertite* 16. *incipiant* a prima manu, *incipient* a secunda, 19. 20. *complexa* 22. *credelius* 24. *aidamidior* et 38, 15. *iocunda* 37, 26. *conubia* et 38, 25. *conubium* 38, 5. *Quittum*, nisi potius *Quatum* est, et *discerpiunt* 8. *conuolsus* 10. *obtauere* 13. *suis* ÷ (id est *suis est*) 18. *Numquam* 19. *perficiens*, certe litterarum compendio, non *proficiens* 20. *flacellum* 21. *Hannulli agricule multi acoluere iuvenci* 22. *marita* 23. *agricule multi coluere* 28. *equom*. Horum pleraque levia sunt aut inutilia et propterea tantum a me commemorantur quod tam vetus liber excutiendus videbatur totus: nonnulla tamen insunt satis memorabilia. Nam *convertite* p. 37, 15 et *convolsus* p. 38, 8 fortasse vera sunt. Et *convolsus* quidem certe non deterius puto vulgato *contusus*, ut non mirer Isaacum Vossium antiquissimi codicis auctoritati obsecutum esse. Similiter hoc verbo Catullus usus est carm. LXIV, 40 (p. 43, 17), *non glebam prono convellit vomere taurus.* Alterum autem illud *convertite* eo verbo quod reliqui codices obtinent praestabilius videtur. *Committere animos* de ineundo certamine recte dici posse quis neget? Sed cum accuratius considero hos versus

Nos, alio mentes, alio divisimus aures:
Iure igitur vincemur: amat victoria curam.

Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit,

haec cum considero, intellegere mihi videor quod ex Thuani codice protuli et dudum protulit Vossius, *animos saltem convertite vestros*, non tantum usitate magis dictum esse, sed etiam cum omni cogitationum ratione aptius congruere. Hoc iuvenum paullo neglegentius studium opponitur flagrantiori victoriae cupiditati puellarum, quae v. 6 ss. (p. 37, 5 ss.) pulchre describitur, si ita conformamus orationem. Idque quo modo se habeat ille liber Thuani itidem demonstrat. Lachmannus hos versus ita scripsit:

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra:
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe, viden ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere: canent quod vincere par est.

Sed restituendum esse *sic certest*, quemadmodum loquitur Catullus in carm. LXXX, 7 (p. 68, 21), satis indicio est quod in codice Thuani interiit paullo ante indicavi: atque requiri *est* intellexerat Achilles Statius. Deinde *parent* in prioribus codicibus legitur, *par est* Itali invenerunt: quae coniectura auctoritate codicis Thuani confirmatur. Quare vereor ne Lachmannus in emendando hoc versiculo quiddam quod idem liber suppeditat non recte neglexerit. Etenim illa verba *canent quod visere par est* cum emendationem amplius flagitarent, sic ea scribenda censuit: *canent quod vincere par est*. Quam coniecturam elegantem esse minime nego, sed fortius aliquid requiro. Quam ob rem etsi recordor opponi inter se iuvenum neglegentiam atque intentionem cupidarum victoriae puellarum, et codicem

Thuani, eundem illum ex quo *par est* ipse Lachmannus assumpsit, non *quo* vincere, sed *quod*, potiorem duco hanc emendationem.

Nam temere exiluere: canent, quod vincere par est.

Et fecit hanc coniecturam abhinc duobus saeculis Theodorus Marcilius: sed dum addit hanc explicationem 'id est carmen dignum victoria,' suo ipse invento recte uti nescivit. Hoc potius puellae dicunt 'non temere iuvenes exiluerunt: canent aliquod carmen, quod ut vincamus enitendum nobis est.' Sic pulcre virginum alacritas iuvenumque remissius studium elucent. Denique alius eiusdem carminis versus, in quo vitium deprehendere mihi videor quod plerosque latuit, eiusdem codicis ope emendari potest. Verba haec sunt (p. 38, 30 ss.)

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est.

Alterius versiculi numeri quam fracti et languidi sint nemo non potest sentire semel admonitus. De interpunctione post tempus hexametri versus duodecimum sive post tertii pedis thesin facta quaedam quae ad Graecos poetas pertinerent Eduardus Gerhardius disputavit lect. Apoll. p. 217 ss. Graecorum poetarum consuetudinem hic non persequar: sed illud tamen non praetermittam, non recte Gerhardium duos versus Homericos interpunctionis levitate excusare, cum potius alia distinctione addita numerorum elegantiae prospici debeat. Etenim versu Od. 5, 234 hoc modo interpungendum est

δῶκε μέν οἱ πέλεκυν, μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν,

pariterque Od. 10, 222

ἱστὸν ἐποιχομένης, μέγαν, ἄμβροτον, οἷα θεάων.

Praeterea in priore versu ἐλὼν scribendum esse apparet docuitque Godofredus Hermannus Orphicorum p. 779. Antiquioribus poetis Latinis, eruditis etiam versuum Graeca elegantia faciendorum, cum alia multa, tum eius modi heroi versus interpunctio concedenda est. Itaque non offendor versu, quem ex Lucilii libro XX Nonius attulit p. 209, 3.

Pulmentaris ut intybus, aut aliquod id genus herbae.

Sic enim haec scripserim quoniam in antiquissimo libro Parisino *aut aliquae vel id genus herbae* invenitur: vulgo *aut aliqua id genus herba*. De coniectura scripsi *pulmentaris*: libri *pulmentar aut* sive *pulmentaria ut* habent: verum Nonius masculini generis exemplum posuit. Plura consimilia ex antiquioris poesis Latinae reliquiis conquirere nihil attinet. Deinde Virgilius nonnullos versus fecit in quibus post duodecimum tempus interpungendum est. Sed fecit eos partim ut insolenter luderet, quem ad modum dixit georg. 1, 356 sq.

freta ponti
Incipiunt agitata tumescere et aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Litora misceri;

partim illam minutarum rerum diligentiam animadvertas licet qua Virgilius Homeri vel in eis quae minus placere possunt quam simillimus fieri studuit. Velut illud famosus est versus georg. 3, 6

Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?

Scilicet recordatus est Homericos nonnullos versiculos, qualis hic est Od. 11, 260

τὴν δὲ μέτ᾽ Ἀντιόπην ἴδον, Ἀσωποῖο θύγατρα.

Catullus, natus poeta, non factus, ab eiusmodi studio

tam alienus erat quam solebat versus facere elegantissimos. Itaque praeter illum versum de quo disputamus tantum in eius libro reperitur in quo post tempus duodecimum interpunctum videri possit. Versum dico carminis CX tertium (p. 75, 23)

Tu, quod promisti mihi, quod mentita inimica es.

Sed nullo negotio numeri emendantur, translata post *promisti* vocabulum interpunctione. Si dixit carm. LXIV, 78 (p. 44, 25)

Electos iuvenes simul et decus innuptarum,

artissime cohaerere *simul et* manifestum est. Denique in eiusdem carminis versu 395 (p. 55, 9)

Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo,

distinctio synaloephe minuitur et quasi oblitteratur. Quae cum ita sint, in eo quod Thuani codex suppeditat,

Tertia patris pars est data tertia matri,

verum latere arbitror, nec tamen illud, quod Isaaco Vossio placuit,

Tertia pars patris est, pars est data tertia matri,

sed hoc

Tertia pars patrist, pars est data tertia matri.

Qui factum sit ut praetermitteretur *pars* satis apparet. Praeterea *est* cum praecedente vocabulo coniunctum saepissime librarios cum alibi, tum in Catulli carminibus fefellit. Sic p. 20, 12 *malest* mutatum in *male si*, p. 40, 23 *maestast* in *maestas*, p. 41, 6 *figurast* in *figura est*, pariterque p. 71, 30 quod e Dati codice allatum est *culpa est* ac p. 72, 21 Laurentiani codicis *dolor est* indicio sunt vetustiorem scribendi rationem, *culpast* et *dolorist*, in antiquo exemplari servatam fuisse.

Quem ad modum igitur ex iis quae codex Thuani suppeditavit probabilem versus 63 emendationem elicuisse mihi videor, ita omnia quae in illo libro inveniuntur diligentissime attendenda censeo. Veluti munitur eius auctoritate plerorumque proborum codicum fides contra prolatum ex hoc libro unique memorabile vocabulum. Etenim quoniam eorum quae probi dant codices tam nihil indignum est accuratiore consideratione quam reliquorum commenta omnia refutanda sunt, nisi ubi bonorum librorum evidens depravatio coniecturam requirit sive nunc faciendam sive dudum factam, ne illud quidem dicere praetermittam, quod v. 19 (p. 37, 18) scriptum invenitur in Santenii codice *potuit ad fertur*; id *potuit* nihil mihi videri aliud nisi *volvit*. Et potest hoc *volvendi* verbum alicui magis placere quam simplex illa oratio quae reliquis libris omnibus conservata est:

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?

Sed exquisitiore dicendi genere cupidius arrepto Catullianae orationis elegantia pervertitur. Nam hoc *volvendi* verbo ita, ut activae formae intransitivam tribuerent significationem, quantum equidem reperire potui, aliquanto posteriores scriptores Latini usi sunt. Locutus est eo modo Lucilius Aetnae v. 469 *Accensae subeunt moles truncaeque ruinae Provolvunt*. Antiquioribus scriptoribus intransitiva significatio non probata fuit nisi participii. Exempla ascripsi Lucretii 5, 929 *Multaque per caelum solis volventia lustra Volgivago vitam tractabant more ferarum*; Vergilii Aen. 1, 234 *Certe hinc Romanos olim volventibus annis — fore — Pollicitus*, georg. 1, 163 *Eleusinae matris volventia plaustra*, Ovidii met. 5, 565 *Iuppiter ex aequo vol-*

ventrem dividit omnem. Reliquis modis antiquiores omnes ita utuntur ut transitivum maneat verbum. Peculiarem esse participii rationem Charisius sensit enim haec diceret p. 233 P. 'Item in passivis participia praesentis temporis non sunt, abutuntur autem veteres activo pro passivo, ut apud Virgilium (Aen. 3, 607) *Genibusque volutans haerebat.* Nam si activa significatione acciperetur, deesset *se*, ut diceret *volutans se.* *Praecipitans traxit omnia* (l. *traxi mecum*, v. Virg. Aen. 6, 351), deest *se*, ut sit *praecipitans se.*' Nam etsi praecipitandi verbi non participio tantum, sed reliquis etiam modis intransitivis usi sunt cum alii tum ipse aliquoties Cicero, tamen in hoc quoque verbo participii frequentior esse videtur quam aliorum modorum intransitiva significatio. Cum volvendi autem volutandique verborum intransitivis participiis apte comparatur quod idem Virgilius dixit Aen. 10, 362 *saxa volutantia late.* Accidit his similibusque nonnullis verbis (neque enim omnia verba activa eadem ratione intransitivorum significationem asciscunt) idem quod in deponentibus factum esse videmus, ut, cum careret passiva verbi forma praesentis participio, activum participium assumerent, addito primum se pronomine, mox omisso. Atque pronomen illud eo erat aptius ad conformandum praesentis passivi participium, quo probabilior est suspicio totam hanc verbi formam passivam ex activa et adiuncto reflexivo, quod vocant, pronomine ortam esse: ut autem postea abiiceretur pronomen, factum est eo quod adiectivi paene speciem participium induisse neque illa accessione amplius opus habere videbatur. Similia in aliis linguis animadverti possunt. Sic Germanice dicimus *erwach-*

mend id quod sese aliis eximit et eis excellit, multoque saepius in prisco sermone hanc participii rationem inveniri constat. Nota sunt *diu hôch tragenden herzen, seneder muot* et id genus plurima: alia reconditiora, veluti *holde minne*, explicatum nuper a Lachmanno (Nib. 436, 4). Catullum igitur, ut ad Catullum redeam, non puto indicativo modo verbi *volvendi* ita usum esse ut passivam sive reflexivam ei tribueret significationem, sed *fertur* unice probo, simplex et apertum verbum et reliquis codicibus ipsoque illo antiquissimo Thuani libro satis firmatum.

Itaque cum videamus Thuani codicem fere ubique ea praestare quae vera sunt, putabimusne neglegendum esse quem ille suppeditat versum? Invenies inde a versu huius carminis undecimo (p. 37, 10) haec canunt

Non facilis nobis, aequales, palma parata est:
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit:
Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.

Sed hunc versum *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant* (*laborant* enim error est non Lachmanni, verum excerptorum quibus usus est) reiecit Lachmannus, siquidem in uno ille codice inveniri videtur. Nam quod Isaacus Vossius p. 152 et vetustissimum Thuaneum et alia exemplaria illum agnoscere ait, nescio equidem utrum antiquos codices dicat an aliquas editiones. Antiquarum enim editionum quae mihi praesto sunt duas video eo versu locupletatas, exemplar Mureti ab Aldo a. 1558 editum et Antwerpiense quod ex officina Christophori Plantini a. 1569 prodiit. Num pri-

mus eum Muretus protulerit atque ex ipso fortasse Thuani codice, qui antea fuit Claudii Puteani, sumpserit illi indagabunt, si qui omnes editiones veteres inspicere possunt: at hoc certe intellegere mihi videor, si invenitur ille versus in aliis etiam exemplaribus, in quae ex Puteani sive Thuani codice eum venisse non credibile est, fidem eius aliquanto augeri. Praeterit hunc versum Iosephus Scaliger cum primum ederet Catulli carmina a se emendata: postea mentionem fecit eius, sed ut adderet ‘abest hic versiculus a nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit.’ Suum librum, ut ex Scaligeranis patet, codicem dicit Catulli Tibulli Propertii anno 1469 scriptum, quem Nemausi inventum Iacobus Cuiacius ipsi commodaverat. Tantum abest autem ut nullam hunc versum bonam sententiam concipere Scaligero credam, ut mihi praeclarus esse illudque vincendi studium, quo puellas a se differre iuvenes intellegunt, egregie illustrare videatur. ‘Non frustra meditantur puellae: neque mirum est si memorabile aliquid proferent, cum tota mente in praeparando carmine occupatae sint:’ ecquid hac oratione magis aptum atque concinnum cogitari potest? Et postulant paene ut tale quid antecedat ea quae adduntur *Nos alio mentes, alio divisimus aures.* Verum Lachmannus ut illum versiculum abiiceret eo videtur adductus esse quod perturbare videretur stropharum aequabilitatem quam per totum carmen a Catullo observatam esse iure suo existimabat. Etenim post versum huius carminis 31 (*Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam*) Hieronymus Avantius versus aliquot deesse intellexit. ‘Nam isti tres versus’ inquit ‘quorum primus est *Namque tuo adventu*, dicendi sunt a maribus,’ quia

ex his laudandus est Vesper: ille autem *Hesperus e nobis* dicendus est a puellis.[3] Rectissime animadvertit omnia: neque Scaligerum fugit nonnulla deesse. Isaacus autem Vossius, cuius ut egregias quasdam emendationes, quibus Catulli carminibus pristinae venustatis partem restituit, valde admiramur, ita perversum saepe ingenii et eruditionis usum moleste ferimus, sic scripsit et interpunxit:

Hesperus e nobis, aequales abstulit unam.
Nempe tuo adventu vigilat custodia. Semper
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

Quibus hanc ascripsit explicationem 'Est — ironice dictum a puellis: noctu scilicet latent fures, ut eos custodes et excubitores deprehendere nequeant, cum satis feliciter eos capere sciant oriente Phosphoro. Hac ratione furibus praemiatoribus et grassatoribus nocturnis non minus sacer erat Hesperus quam amantibus.' Quanta cogitationis perversitate haec explanatio laboret facile intellegitur. Nam si comprehendit idem eosdem fures Hesperus (neque enim tam verum est quam ingeniose inventum Schraderi *Eous*), qui tandem puellae eum vituperare possunt? Praeterea intolerabile est interpungi in Catulli carmine post quintum hexametri versus pedem. Nam quod scholiastes Harleianus ad Od. 2, 77 ascripsit, non neglectum illud a Godofredo Hermanno, viro perillustri, el. doctr. metr. p. 340, οὐδέποτε ὁ ἕκαστος χρόνος τοῦ ἡρωικοῦ στιγμὴν ἐπιδέχεται, eam legem ita observavit Catullus, ut ne ante monosyllabas quidem duas voces, de quibus nota sunt quae Bentleius disputavit, illo versus tempore orationem concluderet. Conti-

nuanda potius est usque ad finem versiculi iuvenibusque illi tres versus unice conveniunt. Quocirca Lachmannus post versum carminis 31 sive post paginam 37 duas paginas, h. e. 60 versus, periisse putavit: cui eatenus assentior ut unam paginam, h. e. 30 versus, desiderari probabilius esse existimem. Sed hanc paginarum partitionem enucleatius exponere decrevi, quoniam video quosdam de verissimo invento satis inconsiderate indicare, puto quod Lachmannus attentiori paullo lectorum diligentiae aliquid relinquere quam causas et momenta singillatim edisserere maluit.

Itaque ut via et ratione disputem illud praemunio sermoni, non posse in eius modi causa omnium indiciorum eandem esse ad persuadendum opportunitatem, sed quae singula levia et infirma videantur, ea si connectuntur inter se, grave argumenti pondus vicissim a se acquirere: initium autem dicendi sumam a carmine vulgatorum exemplarium LXXXVII. Quod carmen, si codices sequimur, his quattuor versibus constat

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea es.
Nulla fides nullo fuit unquam foedere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Hic aliquid desiderari praeparata magis quam perfecta sententiae declaratio et illa praeterita verbi tempora *amata es, reperta est* satis demonstrant. Quod quale fuerit Scaliger penitus perspexit. Etenim adiungendi sunt huic carmini quattuor illi versus qui in codicibus tamquam singulare carmen LXXV scripti sunt

Nunc est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,

Ut iam nec bene velle queat tibi, si optimus fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Sic nullo plane negotio venustissimum et aptissime cohaerens carmen restitutum est: nam quod *nunc* ex uno neque bono Cuiacii libro receptum est, cum reliqui codices *hoc* praebeant, eo is tantum offendi potest qui vel coniecturis diffidit omnibus vel in errore fodiri, ut Lachmanni verbo utar, veritatis admonitionem nihil curat. Atque assensus est Scaligero optimus quisque grammaticorum: sed illud tamen reliquum erat, ut ista carminis disiunctio probabiliter explicaretur. Praeclare igitur Lachmannus intellexit duas tricenorum versuum paginas, sexagesimam octavam et sexagesimam nonam, in codice antiquo post paginam septuagesimam errore quodam collocatas fuisse. Finita erat pagina sexagesima septima ultimo versu carminis LXXIV: sequebantur deinde carmina, uti vulgo numerantur, LXXVII, LXXVIII, LXXIX, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV, LXXXVI, LXXXVII. Cuius carminis octogesimi septimi versus quartus in finem paginae sexagesimae nonae inciderat: proxima pagina septuagesima incipiebat eiusdem carminis versu quinto sive, ut illi numerant qui codicum errorem tenent, carminis septuagesimi quinti versu primo: deinde qui reliqui erant huius paginae versus viginti sex, eis carmen continebatur vulgatorum exemplarium septuagesimum sextum. Sic perturbato trium paginarum ordine factum est ut illud carmen dirimeretur magnamque pateretur venustatis iacturam. Sed dicat quis istis duabus paginis sexagesima octava et sexagesima nona, quas loco suo motas fuisse dixi, non sexaginta versus contineri, verum sexaginta

octo. Audio: verum minime tamen Lachmannus probabilitate falsus est. Quid quod ista paginarum partitione quaedam versuum perturbationes dilucide explicantur. Ac primum quidem carminis LXXXIV versus tertius et quartus (*Et tum mirifice, Cum quantum*) in libris positi sunt post versum decimum sive paginae sexagesimae nonae versum decimum sextum (*Cum subito*). Itaque verisimile admodum est, illos duos versus propter iteratum *hinsidias* primum praetermissos et postea in margine antiqui codicis ascriptos, deinde alieno loco a librariis collocatos esse. Quare hoc quidem distichon in numeratione versuum antiqui illius exemplaris omitti debet, siquidem absoluta triginta versibus pagina in margine demum additum fuisse videtur. Deinde in libris quattuor hi versus

Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Savia comminxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia saecla
Noscent, et qui sis fama loquetur anus.

hi igitur versus in libris inepte plane ita collocati sunt quasi ad carmen LXXVIII pertinerent: frustra enim Vulpius versuum minime sibi convenientium conglutinationem defendere studuit. Cum quibus versibus coniungendi essent, eiusdem Scaligeri acumen patefecit. Aptissime enim congruunt carmini LXXVII. Verum ut alieno loco ponerentur a librariis de eadem causa quam modo declaravimus factum est. Praetermiserat eos is qui antiquum exemplar, ex quo nostri libri originem traxerunt, exaravit: deinde in margine ascripserat: at postea librarii quo pertineret supplementum non intellexerunt. Quae cum ita esse videantur, ne hi quidem quattuor versus numerandi sunt. Restant igitur versus sexaginta duo,

Sed duo etiam illi versus, qui supra iustum numerum esse videntur, non perturbant rationem. Carminis enim LXXVIII versus tertius et quintus cum iisdem vocabulis *Gallus homo est* incipiant, quid veri potest esse similius quam unum horum distichorum in antiquo exemplari itidem omissum fuisse prius et ascriptum postea in margine? Id suo loco repositum esse a librariis, qui Catulli carmina inde transcripserunt, non mirum est in summa rei evidentia. Quodsi quis me dicat alucinari et delicias agere, consideret velim, quot quantisque illa paginarum dinumeratio confirmetur argumentis. Nam post versum carminis LXVIII centesimum quadragesimum primum non pauca intercidisse manifestum puto, postquam Lachmannus indicavit. Dixit antea Catullus puellae suae infidelitatem patienter sese laturum esse, nam ipsam deorum reginam Iunonem adulteria Iovis toleranter ferre iramque concoquere (haec enim egregia est Lachmanni de versu 139 coniectura). Deinde 'quia nec divis homines componier aequum est', eo digressionum studio quo totum hoc carmen excellit, aliud exemplum, aliam narrationem protulisse videtur. Illum autem versum *At quia nec divis homines componier aequum est* paginae sexagesimae sextae versum fuisse, alterum postea docebimus. Atqui inde a proximo versu *Ingratum tremuli tolle parentis onus* (in quo Lachmannus perhaesae emendationis probabilitatem eo adaugere poterat ut scriberet *tremulist*) *illa* usque ad ultimum carminis LXXIV versiculum, post quem illam paginarum LXVIII et LXIX traiectionem animadvertimus, itaque usque ad paginae LXVII finem versus numerantur undesexaginta. Unde colligitur librarium ab unius paginae altero versu

ad eundem alterius paginae versum, ab hexametro ad pentametrum, ut fit inter scribendum, maxime ubi interpellatum opus repetimus, temere aberrasse. Sumpsimus illum versum *At quia nec divis homines componier aequum est* alterum fuisse versum paginae LXVI. Itaque illa verba *Coniugis in culpa flagrantem concoquit iram* versu scripta erant paginae LXV ultimo. Nonaginta retro versiculis, itaque post paginam LXII, turbas deprehendimus quales in imis paginis pariter atque in summis saepissime inveniri sciunt qui ad hoc depravationum genus accurate attenderunt. Etenim post hunc versum (carm. LXVIII, 46) *Milibus et facite haec charta loquatur anus* interstitium est sive lacuna in Santenii codice: quae eius loco alii libri suppeditant *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim*, ea in codice Parisino Senecae, h. e. Senecae Camerti, ascribuntur. Ineptus versus carminis elegantiae obest et illud certe *et*, quod post *omnibus* in plerisque libris qui hoc versu inquinati sunt collocatum est, ab ea dicendi ratione qua Catullus utitur prorsus abhorret. Neque multo meliora commenta in aliis codicibus inveniuntur. Deinde sequuntur hi duo versus

Notescatque magis mortuus atque magis,
Nec tenuem texens sublimis aranea telam,

pulcri illi quidem et apte cum proximo versu (p. 63, 1)

In deserto Alli nomine opus faciat

congruentes. Sed post illum versum

Nec tenuem texens sublimis aranea telam

in plurimis libris atque in ipsis etiam Dati et Santenii codicibus haec inculcata sunt

Iucundum cum aetas florida ver ageret.

Qui est versus eiusdem huius carminis decimus sextus sive paginae, si illam dinumerationem sequimur, sexagesimae primae versus ultimus. Ergo tres versus iste scribendam antea a se omissos librarius suo quidem loco, sed in ima margine apposuit, minutis, ut videtur, litteris. Quo factum est ut priorem versum hexametrum dispicere non possent qui multos post annos carmina in nova exemplaria transcripserunt. Damnum Itali grammatici sarcire studuerunt. Praeterea illud animadvertendum est, ineptum hoc quidem loco versum *Iucundum cum aetas florida ver ageret* ex praecedentis paginae fine in fine huius paginae repetitum esse. Simile quid accidit in carmine LXIV, cuius post versum 386 a codicibus perperam affertur versus carminis LXVII vicesimus primus *Languidior tenera cui pendens sicula beta*. Atque qui factum sit ut ad istum versum oculi aberrarent eius librarii qui antiquum exemplar scripsit a quo ortum habent nostri codices (huius enim error sit necesse est: aliter ratio non constat), non possum quidem probabiliter explicare, sed hoc volui monstrare, ineptum additamentum in fine paginae, peculiari turbarum quasi sede, inveniri. Nam versus carminis LXIV trecentesimus octogesimus sextus versus est undetricesimus paginae quinquagesimae quartae. Tum iste versus *Languidior tenera* hic quidem non debet numerari. Itaque proximus versus *Saepe pater divum* primus est paginae quinquagesimae quintae. Quae pagina terminatur versu carminis LXV octavo. Proximus autem versiculus

Alloquar, audiero numquam tua loquentem

et ipse mancus est et ante eum quaedam excidisse lacuna demonstrat quae in codice Santenii reperitur. Sed hanc

lacunam et simul iustum versuum numerum Lachmannus mirabili sollertia interpositis sex versibus explevit, quos ex versibus paginae LXII quarto et paginae LXIV tertio decimo et eis qui post utrumque versiculum sequuntur composuit. Praeclara mihi videtur haec luctuosarum fraternae mortis querelarum eisdem verbis repetita iteratio atque congruunt omnia inter se tam apte ut facile intellegas quantopere hoc argumento illa paginarum partitio commendetur quantaque eius sit in emendandis carminibus utilitas. Quo magis omnia quae ad hanc quaestionem pertinent persequar. Itaque abis numerandus est versus carminis LXIV trecentesimus tricesimus quartus cum sequentibus tribus versiculis. Servati sunt in bonis quibusdam codicibus, nec potest dubitari factos eos esse a Catullo: sed in plerisque codicibus omissi sunt. Hi quoque in margine olim ascripti fuisse videntur. Deinde digni sunt consideratione eiusdem carminis versus vicesimus alter et qui sequuntur.

O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona mater,
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo.

Quorum verborum ineptae pariter atque diversae prolatae sunt interpretationes. Nam si verum fatendum est, quae dicatur illa *bona mater* nullo modo explanari potest. Sed expedimus nos ab hac omni difficultate, si ad ea attendimus, quae interpres Veronensis ad Virgilii Aen. 5, 80 ascripsit:

salvete deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum.

In his *gens* levi errore ex *genus* factum est, reliqua demonstrant in Catulliani libri exemplo versum excidisse,

in fine videlicet, quod minime negligendum est, paginae quadragesimae secundae. Neque fugit hoc Lachmannum, sed caute tamen quasi interpres Virgilii servavit ad fragmenta carminum retulit. Mihi vero *matre*, quod in Laurentiano libro scriptum est, ex *matrum* ortum esse ideoque umbram quandam veri retinuisse videtur. Verum iure a me postulatur ut aperiam quid praeter illa verba *o bona matrum Progenies, salvete iterum* Catullus dixerit. Nimirum ter, ut fere mos est, heroes veneratus esse tertiumque *salvete* et deinde aliquod adiectivum, qualia multa cogitari possunt, addidisse videtur Magnum. Huic coniecturae veri similitudinem conciliaturus esse mihi videor, si hos versus quodam modo imitatum esse significavero eum poetam quem in conformanda omni oratione sua Catulli exemplar anxie expressisse suosque hortulos ex uberrimis huius maxime carminis fontibus irrigasse constat. Nam cum contemplor Ciris versus 194 sq.

Gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis,
Quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
Incolitis, gaudete, vagae blandaeque volucres:
Vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, gaudete:

magnam in dissimili re similitudinem deprehendo eorum quae Catullus dixit:

O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum (salvete . . .)
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu.

Quem ad modum autem versus cuius particulam interpres Virgilii suppeditavit amissio in finem paginae incidit eoque facilius explicari potest, ita accurata paginarum observatio Lachmanno egregiam alius carminis emendationem praebuit. Etenim Attidis versui 74, quadem codices eum exhibent, duae syllabae absunt:

Roseis ut huic labellis sonitus abiit.

Italorum complementa silentio praetereo: Bentleius autem acute admodum *sonitus citus abiit* scribendum esse coniecit. Quis putasset probabiliorem longe emendationem inveniri posse? Nimirum eodem versu, octavo decimo paginae XXXIX sive praecedentis folii, ut perspicue magis loquar quam Latine, in codicibus haec leguntur

Aliena quae petentes velut exules loca celeri.

Inutile et versui perniciosum *celeri* removendum esse optimus quisque grammaticorum intellexit: nunc eo usus est Lachmannus ut inde in eundem proximi folii versum *celer* traduceret:

Roseis ut huic labellis sonitus abiit celer.

Numeri eidem sunt ac versus eiusdem carminis 91

Dea, magna dea, Cybebe, dea, domina Dindymei:

de quo versu recte iudicavit A. F. Naekius sched. crit. p. 22 s. Illius autem alterius versus integritatem Lachmannum verissime restituisse simulque inventam a se paginarum distributionem dilucide comprobasse existimo.

Quare nescio an aliis, mihi quidem principio paginae XXXVIII recte videtur assignasse hunc versum

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.

Reliquum esset ut eo versu qui praecedit,

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam,

paginam terminatam fuisse declararem. Sed in priore libri parte plures inveniuntur versuum amissiones et traiectiones quam ut breviter omnia disputari aut certo definiri queant, nisi quod illic quoque tricenorum versuum paginas animadvertere licet. Veluti carminis L. versus 16 et 17 codices et suo loco ponunt et iterum habent post triginta versus, h. e. in fine paginae XXVI. Inde ad versum illum carminis LXII unum et tricesimum undecim numerantur antiqui exemplaris paginae, idoneis ad persuadendum indiciis; quamquam de singulis nonnullis versibus dubitari potest atque haud pauca amissa sunt. Itaque cum versu illo *Hesperus e nobis* pagina terminata fuisse videretur, ea autem quae sequuntur *Namque tuo adventu* exordium fuisse paginae atque inter utrumque versum nonnulla periisse manifestum esset, amoebaei denique carminis legem observari conveniret, vix dubitari posse Lachmannus asseveravit, quin paginae duae h. e. sexaginta versus perierint. 'Nam totum carmen' inquit 'ita videtur constitutum fuisse, ut primum iuvenes canerent 5 versus, tum puellae item 5, iuv. 8, pu. 6, iuv. 6, pu. 8, iuv. 7, pu. 7, iuv. 8, pu. 11, iuv. 9, pu. 9, iuv. 8, pu. 10, iuv. 10, pu. 8.' Ac paginas duas vel saltem unam paginam intercidisse mihi quoque persuasum est, sed in Lachmanni ratione iustam aequabilitatem desidero. Praeterea illud difficilem habet excogitationem, cur ultimum puellarum carmen nullus praecedat versus intercalaris. Atque omnino illam adhortationem *At tu ne pugna cum tali coniuge, virgo* a iuvenibus cani multo videtur esse convenientius; neque opus tum quidem est versu intercalari, immo ne tolerabilis quidem est, quoniam eo quae ἡμιχόρια canunt distinguuntur.

Quae cum ita sint, aliter rem instituendam esse censeo. Recepto igitur ex Thuani libro illo versu *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant*, ii sexaginta versus perierunt, omnia ad perfectam aequabilitatem ordinari posse existimo. Cuius aequabilitatis formam subieci.

5. 5. 9. 6. 6. 1 + VIII. VII. VII. XI. XI. VII. VII.
i. p. i. p. i. p. i. p. i. p. i. p.

II + 6. 10. 10. 8.
i. p. i. i.

Numerorum formis quibus nos uti solemus eos versus denotavi qui supersunt, Latinis litteris amissos significavi. Sed vereor tamen ut per novem et septuaginta versus Hesperi laudatio et vituperatio continuata fuerit. Quocirca credibile est unam tantum paginam, h. e. triginta versus, periisse. Eandem naturae amoebaei carminis aequabilitatem item adiecta quasi imagine declaravi.

5. 5. 9. 6. 6. 1 + VIII. X. X. II + 6. 10. 10. 8.
i. p. i. p. i. p. i. p. i. p. i. i.

Sed dixerit hic quispiam recepto illo versu *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant* paginarum partitionem perturbari: nam Thuani quoque codicem ad illud antiquum exemplar origine sua referendum esse, quod tricenos una quaque pagina versus continebat, eo apparere quod idem atque reliqui codices versuum damnum contraxit. Verum est: attamen plurimis modis in ordinem omnia reduci possunt. Unum commemorem quod veri esse duco simillimum. Carminis LXI versus 90 (p. 32, 11) *Prodeas nova nupta* certo Italorum

coniecturae debetur: non habent eum probi codices, ut afuisse videatur ab antiquo libro. Itaque non numerem eum magis quam numeravit Lachmannus carminis XXXIV versum tertium *Dianam pueri integri*, qui illa de causa omissum parique iure ab Italis restitutum. Sic locum invenit ille versus quem codicis Thuani beneficio debemus.

Ceterum hoc versuum numerandorum artificium quem ad modum in Catulli libro Lachmanni dexteritatem fructu non contemnendo remuneratum est, ita etiam ad alia carmina haud inutiliter accommodatur. Sic Moretum in antiquo codice, ex quo nostra exemplaria originem traxerunt, paginis versuum vicenorum quinorum scriptum fuisse diligens sincerorum codicum consideratio docere videtur. Dico autem sinceros quales sunt Monacenses tres a Ludovico Iano excussi, Vindobonensis 134 (phil. 126) a me collatus, quem Endlicherus meus catal. p. 65 saeculo undecimo recte ascribere videtur, tum Thuani liber antiquior (8069), nam alter paullo deterior, Colbertini, maxime antiquiores, Sorbonianus, Parisinus regius primus (7930) et si qui praeterea aetate et bonitate ad hos proxime accedunt: neque enim omnes singulos hic examinare operae pretium duco. Contra commentis hic illic inquinati sunt libri plerique recentiores, veluti Vindobonensis 3108 (R. 922), scriptus saeculo XV, atque eodem saeculo exarati codices Carcavii et Gudii et quos plurimum sibi profuisse novissimus editor narrat Baluzianus (8206) et Parisinus regius alter (7989), praestabilis bonitate liber quod ad Catulli Tibullique carmina attinet, in Moreto futilis. Itaque in sinceris

codicibus Parisino regio primo Monacensibus tribus et Vindobonensi post versum tricesimum primum (*Interdum clamat Cybalen: erat unica custos*) versus septimus (*Vestigatque focum, laesus quem denique sensit*) iteratur. Quod reliqui bonae notae codices pariter atque interpolati eum, ut videtur, non repetunt, evidentissimi erroris emendationem nemo mirabitur. Verum si quaeris qui factum sit ut iste versus perperam iteraretur, causa erroris satis liquet, modo antiqui exemplaris paginas vicenos quinos versus comprehendisse mihi concedas. Tum enim illa verba *Interdum clamat Cybalen: erat unica custos* alterius paginae versu sexto continebantur, ut librarius inde ad primae paginae versum septimum inter describendum oculis aberrasse eumque temere repetivisse videatur. Versus vulgatarum editionum tricesimus sextus (*Continuis rimis calcanea scissa rigebant*) in sinceris libris non invenitur: unde colligas afuisse eum ab antiquo illo codice. Quo fit ut alteram eius paginam versu vulgatorum librorum quinquagesimo primo (*Ante focum testisque tegit, super aggerat ignes*) terminatam fuisse satis concluam esse videatur. Porro qui vulgo numeratur versus septuagesimus quintus (*Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver*), eum non habent probi codices: nam quod in uno Colbertino primo inveniri perhibetur, id falsum esse non dubito. Itaque versus vulgatorum exemplarium septuagesimus sextus (*Grataque nobilium requies lactuca ciborum*) in antiquo codice erat septuagesimus quartus, sive paenultimus paginae tertiae. Post hunc versum codices Monacenses, Vindobonensis, Sorbonianus addunt *crescitque in acumina radix*, pro quo in Colbertino

primo et primo Thuani codice scriptum extat *quae cre-scit in acumine radit.* Reliqui sinceri codices hanc versus particulam omittunt, in interpolatis fere refecta est variis complementis, quae nihil attinet commemorare. Nam ut hariolari multa possumus, ita quod certum sit divinari nequit. At illud certum mihi videtur, antiqui et ab ipso poeta facti versiculi partem istis verbis contineri. Qui versus cum ultimus esset paginae tertiae, corrupta, ut fit, margine inferiore detrimentum passus esse videtur. Sed ne quis putet versus duos vulgatorum librorum 36 und 75 temere nos atque ex libidine damnasse, commenticios eos esse praeter iustam indiciisque congruentem versuum computationem gravemque proborum codicum auctoritatem etiam aliae rationes persuadent. Et versus quidem 75, qui hic est

Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,

cum hanc sequatur

Hic siser et nomen capiti debentia porra,

intolerabilis esse videtur propter *capiti* vocabulum post quinque voces atque eodem adeo versus loco iteratum. Liberum est enim Moretum a tali repetitionis molestia. Magis sibi in hoc genere indulsit Culicis scriptor, sed tamen ut tantae infantiae expers esset. Atque augetur fraudis suspicio eo quod in praecedente versiculo recentiores et deteriores codices plerique, nec tamen omnes, *capiti nomen* habent, cum contrario ordine haec verba collocanda esse proborum codicum omnium consensus evincat. A quo ordine, assumpto semel commenticio versiculo, callide desciverunt librarii, ut ne idem eodem versus loco repeteretur vocabulum. Quod versum 36 non puto ab ipso poeta profectum esse, est etiam in eo

aliquid, quo haec sententia non leviter confirmetur. Verba haec sunt

Continuis rimis calcanea scissa rigebant.

Verum *calcanea* ab ea sermonis elegantia qua Moretum excellit alienum esse mihi videtur. Ascribenda enim censeo omnia huius vocabuli exempla, quotquot reperire potui. Itaque utitur hac voce Aelius Lampridius Heliog. c. 20 (p. 108[b]) comedisse narrans Heliogabalum saepius ad imitationem Apicii '*calcanea camelorum*.' Deinde ex vulgata librorum sacrorum translatione haec exempla mihi suppetunt: gen. 3, 15 '*insidiaberis calcaneo eius*,' Esdr. 4, 6, 8 '*manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Esau*' et versu 10 '*hominis manus inter calcaneum et nimium*,' ps. 48, 6 '*iniquitas calcanei mei circumdabit me*,' 55, 7 '*ipsi calcaneum meum observabunt*,' ev. Ioh. 13, 18 '*levabit contra me calcaneum suum*.' Tum ipse alicubi hoc vocabulo usus est Hieronymus et alii scriptores christiani complures. Isidorus autem orig. 11, 1, 114 '*Calx*' inquit '*prima pars plantae a callo illi nomen impositum quo terram calcamus; hinc et calcaneus*.' Denique Labbaei glossaria haec suppeditant: 'πέλμα *calcaneum solum planta*. πέλματα *calcania*. πτέρνα *calx planta calcaneus*. πτέρνη *calcaneum*.' Itaque videmus hoc vocabulum *calcanei*, quod et masculinum fuisse et neutrum etiam Italorum consuetudo docet (dicunt enim pluraliter *i calcagni* neque ac *le calcagna*), non inveniri ante quartum a Chr. n. saeculum. Moretum autem longe antiquiore tempore scriptum esse eximia carminis elegantia docet; nam Virgilio recte ascribatur dicere non audeam. Nam de codice Ambrosiano, in

quo G. I. Vossius (de poet. Gr. c. 9.) Isaacum filium haec legisse narrat *Parthenium Moretum scripsisse in Graeca, quem Virgilius imitatus est,* nihil compertum habeo. Sed quisquis tandem Moretum scripserit, non puto eum *galbanei* vocabulum usurpasse, novicium illud et paene dixerim rusticum. Adiectivorum nominum quae hunc exitum *aneus* habent ut quaedam antiqua sunt et bona, ita longe plura recentia et ab antiqua sermonis elegantia aliena, ut in multa valeat quod de uno observavit Gellius 3, 18: *hoc vocabulum* (pedarius) *a plerisque barbare dici animadvertimus. Nam pro* pedariis pedaneos *appellant.* Praecipue autem substantivum nomen *calcaneum* sive *calcaneus* ad illorum vocabulorum genus pertinet quae primitivas, ut dicunt, voces, ex quibus facta sunt, oblitteraverunt paullatim et sero. Non inepte Cybalae rimosae calces tribuuntur quales Afros habere in isto solis et soli ardore et per se credibile est et decet, cuius auctoritate Heynius utitur, I. Fr. Blumenbachius de gen. hum. varietate nativa p. 246 s. ed. 3. Nihilo minus hanc versiculi convenientiam casu ortam esse, eumque a quo profectus est nihil aliud quam Cybalae deformitatem oratione exaggerare voluisse existimaverim. Nam in nulla re magis sibi indulgent magisque modum habere nesciunt medii, quod vocant, aevi poetae Latini quam in formae sive venustae sive turpis descriptione. Veluti Vitalis Blesensis quam copiosus est, cum Getam depingit Aululariae v. 331 ss. De quo carmine cum disputarem in annalibus literariis Vindobonensibus, nescio quo modo oblitus sum v. 347 ab inutili Osanni coniectura collato Persii versu 6, 72 defendere.

Sic omnia, nisi me fallit, eo ducunt, ut Moreti codicem, a quo nostrorum librorum omnium ortus repetendus est, una quaque pagina tot versus quot dixi continuisse statuamus. Verum Aetnam Lucilii quod Fridericus Iacobus, homo imprimis eruditus et sollers et de illo carmine praeclare meritus, in antiquo exemplari, ad quod eorum quae nunc supersunt origo referenda est, paginis octonorum denorum versuum scriptam fuisse ait praef. p. XII s. et passim in annotatione sua, non nego id obstinate, sed certiora argumenta desidero. Nam tot vitiis hoc carmen laborat ut monstruosa multa non post versum aliquem octavum decimum inveniantur, sed aliis locis compluribus: deinde quibus versibus Iacobus opinationem suam comprobare conatur, eorum non omnes cum ista dinumeratione ita congruunt ut vitia et damna in paginarum aut fines aut principia accurate incidant: denique nonnullis, in quibus lacunae suspicio facili emendatione removeri potest, ad confirmandas rationes suas frustra utitur. Sic statim post versum 18, quo primam codicis paginam terminatam fuisse sibi persuasit, nonnulla intercidisse existimat. Id saepe factum esse in paginarum confiniis satis constat, num hic factum sit vehementer dubito. Quae enim uno versiculo praetermisso cecidisse suspicatur vir doctissimus

Quis non Argolico deflevit Pergamon igni
Impositam et tristi gnatorum funere matrem?

ea nullo propemodum vitio affecta, certe integram et plenam orationem esse arbitror. *Pergamon igni impositam* recte defendit Hofmannus Peerlkampius bibl. crit. nov. vol. 3 p. 246. Nam cum Iacobus partim eo offensus esset quod alio eiusdem nominis genere idem

Lucilius utitur cum dicit v. 588 s. *flebile lustris Pergamon*, partim quod nimis insolenter dicta, et videretur urbs igni imposita, iure suo Peerlkampius Horatium memoravit *Ilion* neutro pariter ac feminino genere promiscue usurpantem, cuius rei, si opus sit, plura afferri possunt similia: altera autem orationis insolentia nulli fortasse poetae facilius condonari potest quam huius eius modi verborum cupidius saepe consectanti Lucilio, nec sane incommode Batavus illa Sulpiciana (Cic. ad fam. 4, 5, 4) *oppidum cadavera* recordatus est. Sic nihil periisse neque *impositam* ad *matrem* pertinere manifestum arbitror. *Matrem* autem qui Hecubam, ἢ πατρὸς ἕδραι καὶ τέκνα καὶ πόσιν, intellexerunt, vere iudicarunt, si *et* servandum est. Sed vereor ne *aut* sibi praestet, id quod etiam Iacobo in mentem venit, et Nioban poeta significaverit: quae eiusdem Iacobi ut antea Wernsdorfii sententia est. Itaque nonnisi paullulum ad perfectam orationis elegantiam deest, assentirerque Peerlkampio scribendum conicienti *tristi gnatorum in funere matrem*, nisi memorabilis Nemesiani imitatio vel saltem carminis cum Lucilianis versibus similitudo ad aptiorem etiam emendandi viam Wernsdorfium perduxisse videretur. Nemesianus enim ea novae et a nullo antea poeta tractatae materiae gloriatione, quam tetigit Iacobus commentationis quam de Manilio scribere instituit part. 1 p. 14, in cynegeticorum suorum exordio ad consimilem decantatarum fabularum enumerationem delatus haec dicit v. 15 s.:

Nam quis non Nioben numeroso funere maestam
Iam cecinit?

Inde Wernsdorfius probabili coniectura apud Lucilium

tristem gnatorum funere matrem scribendum existimavit. In proximo versiculo vulgatum *sparguntur in semine dentem* mihi quidem prorsus inexplicabile, Scaligeri autem *in semina* verissimum videtur. *Sparsi in semina dentes* simpliciter dicuntur sparsi ut seges inde nasceretur, hominum videlicet, quorum commemoratione in notissima fabula non indigemus. Deinde strictim admoneo versus 23 et 24, quibus poeta tractatarum satis fabularum commemorationem concludit, nihil plane continere quod emendationem requirat.

Quicquid in antiquum iactata est fabula carmen,
Fortius ignotas molimur pectore curas,

h. e. utcunque ab antiquioribus poetis notae fabulae in carmina coniecta sunt, ego ignotam veritatem canam. Quicquid ita dici ut adverbii significationem habeat, neque omnino inusitatum est et utitur eo ipse eodem modo Lucilius v. 83, ubi poetas finxisse ait prostratum in septem iugera Tityum, sitientem Tantalum, rota volutum Ixionem,

Quicquid et interius falsi consortia terrent,

h. e. et quo modo cunque in penetrali Tartaro alia monstra terrori esse dicuntur. Sed redeundum est ad istam paginarum dinumerationem, non ut omnia Iacobi argumenta persequar, sed ut quaedam disputem in quibus confidentius obloquendum censeo.

I. Itaque quem ad modum versu 19 recte emendato lacunae suspicio removetur, ita etiam alio loco idem Wernsdorfius inchoatam a Wesselingio emendationem tam praeclare perfecisse mihi videtur ut admirer Iacobum de omisso versiculo cogitare potuisse. Etenim versu 426 ss. Lucilius, cum in eo versetur ut lapidem molarem praecipuum incendiorum Aetnae alimentum esse demonstret,

complura loca eminerat quae, cum olim arderent, nunc nullum ignem edant propterea quod lapis molaris nullum amplius quasi pabulum subministret. Commemorat Nolam (hoc enim nomen Iacobus v. 426 restituendum esse sagacissime intellexit): deinde sic pergit, si libros sequimur, v. 430 ss.

Dicitur insidiis flagrans Aenaria quondam.
Nunc extincta super tectisque. Neapolin inter
Et Cumas locus est, multis iam frigidus annis,
Quamvis aeternum pinguescat ab ubere sulfur.

Quorum verborum dissolutionem Iacobus eo explicandam esse censuit ut post primum versiculum, in fine scilicet paginae, unum versum excidisse diceret: quamquam duos potius versus, nisi fallor, illa ratio requirit. Mihi secus videtur. Nam quae sequuntur *Nunc extincta super tectisque*, a Iacobo ad oppidum relata quod in Aenaria sive Pithecusa insula profundo haustum esse Plinius narrat h. n. 2, 88, ea ita comparata sunt ut inveniri posse desperem quocum recte coniungantur. Immo nihil dubito quin verum viderint Wesselingius et Wernsdorfius, cum vitia sic corrigenda esse putarent

Dicitur insidiis flagrasse Aenaria quondam:
Nunc extincta stupet: testisque Neapolin inter etc.

Nam *insidiis* servandum esse sane quam recte intellexit Wernsdorfius. Repente flammam ex Epopo emicuisse Plinius tradit.

Transeo ad alia, in quibus versuum amissionis vel perturbationis suspicionem simulque istam paginarum partitionem probabili coniectura ipse infirmare posse mihi videor. Post versum 144: nam peccarunt librarii operae cum ponerent numerum 148: igitur post finem paginae

octavae desiderari versum in commentario suo perspicue se probavisse Iacobus ait praef. p. XIII. Ac difficillimorum versuum qualis esse deberet sententia praeclare ab eo demonstratum est, verum emendandi periculum minus felici eventu fecisse mihi videtur. Lucilius postquam significavit ex cavernis subterraneis aërem exire, cuius impetum causam esse deinde docet terrae motus, tali modo pergit a v. 142

Argumenta dabunt ignoti vera profundi:
Tu modo subtiles animo duce percipe curas
Occultamque fidem manifestis abstrue rebus.
Nam quo liberior, quoque est animosior ignis
Semper in inclusis nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent, hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellunt.

Sic fere haec scripta sunt in codicibus Helmstadiensi et Rhedigerano quem tertium appellat Iacobus: Florentinae membranae eo maxime differunt quod v. 146 *Semper in incluso* habent (nam annotationis errorem correxit Iacobus praef. p. XXI): alterius libri Rehdigerani (2) mentionem fieri nihil usquam opus est, nisi sicubi probabilem coniecturam suppeditat. Ignem praeter expectationem et prorsus absurde commemorari explorate Iacobus percepit. Itaque post versum 144 nonnulla intercidisse opinatus, in quibus aëris sive venti mentio facta fuisset, eo primum confugit ut quae sequuntur ita conformaret

Nam quo liberior quoque est animosior, instat
Semper ita inclusus, nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent: hic plura necesse est
Vincla magis solvant, magis his obstantia pellunt.

Sed diffisus ipse his suspicionibus ad hancce mutationem faciendam inclinavit

Nam quo liberior, quoque est animosior, instat
Septorum claustris etc.

Quae coniectura postea, absoluto libro et scripta praefatione, ita ei placuit ut in addendis certam eam diceret, nec versum intercidisse putaret, sed ventorum vocabulum ex v. 146 ad priorem etiam orationis partem referret. Mihi vero nec versus praetermissus esse nec ventus sive ex sequentibus verbis sive ex praecedente multo ante aëris commemoratione commode cogitando assumi posse et utraque quam Iacobus ingressus est corrigendi via ab iusta comparatione sive conclusione aberrare videtur. Periclitabor igitur aliam emendationem. Ac paene non dubito quin sic scripserit Lucilius

Nam quo liberior, quoque est animosior ingens
Spiritus, inclusis nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent, hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellant.

Vide quanta horum sit similitudo *ingens* spc et *ignis* *spī (semper in)*. *Ingens spiritus*, pari ratione divisum inter duos versus infra legitur v. 559 s. Sic emendatae Lucilii orationi plane congruunt allata ab Iacobo Senecae verba, n. q. 6, 17, *idem spiritu fit, qui quo valentior agiliorque est, citius rapitur et vehementius septus omnes disturbat.* Cursim emendabo vicinum his versibus vitium. Nam quae sequuntur

Nec tamen in rigidos exit contenta canales
Vis animae: flamen vertit qua proxima cedunt
Obliquumque secat qua visa tenerrima causa est,

in eis *causa* ut verum mihi videretur Iacobi annotatione

nondum effectum est. Certe, praefiscini dixerim, coniectura *crusta* restituo. Non de nihilo membranae Florentinae, in quibus *causa* simplici *s* littera constanter scripta est, hic quidem *caussa* suppeditant.

Denique versum 218, qui sic scriptus est in membranis Florentinis

Hinc princeps magnusque qui sub duce militat ignis,

eum igitur versum Iacobus post versum 213 transferendum censet: omissum enim forte antea, deinde in fine paginae fuisse ascriptum. Verum, si quid video, ratio non apparet. Nam si illam quae Iacobo placuit versuum partitionem sequimur, necesse videtur ut duodecimam paginam versu ducentesimo decimo sexto terminatam fuisse sumamus. Quo minuitur aliquanto translationis probabilitas. Deinde iste versiculus eo modo scriptus, quo non tam conformatus quam deformatus invenitur in codice Florentino, neque hic neque ullo alio loco tolerari potest acciditque Iacobo ut ad suas rationes nimium intentus grande metri vitium praetermitteret. Denique etsi versum 212 et sequentes maiora vitia obtinent quam ut probabili emendatione ea removere possim, illud tamen mihi videor intellegere, etiamsi versiculum 218 quo modo cunque emendatum post v. 213 collocaveris, orationem nihilo fieri concinniorem: contra illic ubi codices eum collocant clausulam efficit aptissimam, modo leve mendum tollatur. Ac primum quidem ex codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano *sub hoc* assumo: ea est enim codicum Aetnae ratio ut, cum omnes ex uno libro originem duxerint, membranarum Florentinarum, quippe quae veterem librum accuratius exprimunt, summa debeat esse auctoritas, neque tamen tanta ut ne aliquoties illis duo-

bus codicibus maiorem fidem habeamus. Reliqua oratio una littera sublata corrigitur: *Flamma* (nam hoc saltem membranae Florentinae v. 214 pro inutili illo *semper* opportune suppeditant)

quas spiritus imponat, addat.
Hic princeps magnusque, sub hoc duce militat ignis.

Adiiciam his alias quasdam Aetnae emendationes, si tamen sunt emendationes. Nam si ne Iacobus quidem, sagacissimus et doctissimus homo, omnibus obsequi saepe, saepius depravati carminis versibus aeque salutarem operam afferre potuit, quid ego me sperem coniecturis meis veritatem ubique tetigisse? Sed si partim saltem recte intellexero, fortasse et ille non nullam mihi gratiam habebit nec reprehendent alii quod a Catullo paullisper deflexi. Versu igitur 174 in membranis Florentinis haec leguntur, uti relatum est in Iacobi praef. p. XXI.

Haec immo quum sit species naturaque terrae.

Differunt codices Helmstadiensis et Rehdigeranus eo quod *primo* et *naturaque* habent; hoc quidem recte, sed *imo* verum esse intellexerunt Fr. Chr. Matthiae et Iacobus. Idem Iacobus scite sensit proximum versiculum

Introrsus cessante solo trahit undique venas

nullam continere conclusionem neo aptam esse posse ex antecedentibus aliqua causali connexione: sed quod ita scripsit

Haec imo species rerum naturaque terrae,

id reiicere non dubito. *Rerum* enim nihil est nisi commentum Itali grammatici, propagatum per veteres editiones complures, in quo quid *sit* nunc prorsus abiicitur. Scribendum potius

Haec imo constat species naturaque terrae.

V. 188 ss. haec dicuntur

Nunc opus artificem incendi causamque reposcit.
Non illam parvo aut tenui discrimine signis:
Mille sub exiguum venient tibi pignora tempus,
Res oculos ducent, res ipsae credere cogent.

In primo versu *incendi*, quod ex membranis Florentinis pro vulgato *incendit* recepi, nihil habet dubitationis. *Artifex incendii* qui hic vocatur, v. 196 *mirandus faber* appellatur. Is ut demonstretur, ut causa incendii aperiatur, operis sive carminis ratio postulare dicitur. In proximo versiculo posui quod illae membranae praebent: sed dictum illud est impeditissima oratione atque ut vix intellegi queat. Atqui cum in codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano haec inveniantur *parvi aut tenui discriminis ignes*, proclive est sic versum emendare

Non illam parvo aut tenui discrimine signes.

h. e. ne exigua indicia quaeras ut illam causam intellegas: magna tibi certorum argumentorum copia sponte occurret.

V. 330 ss. Lucilius, cavens ne quis ventos qui ex cratere Aetnae erumpere ignemque et lapides eiicere ipsi videntur per easdem fauces descendisse putet, nubem ait in maxima caeli serenitate supra verticem Aetnae in aëre haerere. Quem sane venti, si immitterent sese in craterem, simul depellerent absorberenturque illa nubes a faucibus. Atqui

Non illam videt Aetna nec ullo intercipit aestu:
Obsequitur quacumque iubet levis aura reditque.

Sic scripti sunt in libris versus 338 et qui sequitur. Sed Iacobus cum ita ut intellegenti homini par erat perspiceret quam alienum esset ab hoc versu videndi verbum, suopte consilio haec posuit: *Non illam vorat*

Aetna. Mihi vero inveniri posse videtur quod cum non minus aptum sit ad sententiam poetae, propius etiam ad malum illud *videt* litterarum similitudine crebroque librariorum errore accedat. Praeterea aliud eiusdem versiculi vitium emendationem flagitat. Aestus enim qui potest Aetna haurire intercipere? Non vereor ne quis talia contra afferat qualia haec sunt Ciceronis Bruti c. 81 (282) *sed hunc quoque absorbuit aestus quidam non insolitae adolescentibus gloriae*. Haec enim et sexcenta similia ad maris accedentis et recedentis et fluctibus suis quaecunque arripit absorbentis similitudinem pulcherrime dicta sunt. Verum eius modi imago Lucilii orationi eo minus convenit, quo certius est atque apertius describere eum Aetnam tranquillam et quietam et tantum fumo emisso futuros aestus, ut hoc ipso vocabulo utar, indicantem. Quocirca nihil plane dubito haec restituenda esse poetae.

Non illam bibit Aetna nec ullo intercipit haustu.

Versu 440 e librorum depravatione huiusce modi

Insula durata Vulcani nomine sacra

illud ipsum quod Lucilius scripsit Iacobus acumine suo elicuit,

Insula Therasia est, Vulcani nomine sacra.

Eam insulam poeta ex parte refrixisse ait; deinde haec dicere visus est v. 443 s.

Quae restat, minor et dives satis ubere terra est,
Sed non Aetnaeis vires quae conferat illis.

Hac forma orationis, quae vix Latina est et multo minus poetam decet et in interpolatis tantum libris invenitur, aliquanto melius videtur quod nonnulli editores et ipse Iosephus Scaliger praetulit

Sed non Aetnaeis vires quas conferat illi.

Attamen cum meliores codices *quae* sive *que* vocabulum tueantur et *illi* quidem praebeant, sed praeterea non *Aetnaeis*, sed *etnei*, non temere coniicio sic potius poetam scripsisse

Sed non Aetnaeo vires quae conferat igni.

V. 449 s. haec leguntur

Sed melius res ipsa nota est, spectataque veris
Occurrit signis, nec tentat fallere pestem.

Simili oratione Germanicus utitur cum dicit Arateorum v. 375

Atque haec ipsa nota est nullam praebere figuram:

verum in Luciliano versu incommodum est neutro genere dictum *melius*. Unde laudabiliter Antonius Roius *melior* scribendum suspicatus est. Sed totum illud *nota est* nihil esse constat nisi commentum infaceti emendatoris. In probis enim codicibus non hoc invenitur, sed *nocte*. Quod ita corrigo ut scribam

Sed melius res ipsa docet etc.

Pariter quae v. 458 ss. legimus

Haud equidem mirum factu. quod cernimus extra,
Si lenitur opus, crepitat: magis uritur illic.
Sollicitatque magis vicina incendia saxum etc.

commenticio vocabulo liberanda sunt. Rectissime enim Iacobus odoratus est in *fateque* vel *scate*, nam talibus mendis boni codices inquinati sunt, doctius quid latere quam *factu*, quod interpolata exemplaria suppeditant. Doctius et vero etiam aptius restituere mihi videor sic emendata oratione

Haud equidem mirum fatu est. Quod cernimus extra,
Si lenitur opus, crepitat.

Nam crepitandi verbum praeclara plane sagacitate Iacobus invenit.

V. 519 ss. Lucilius eos, si qui forte lapidem molarem ex variarum rerum igne liquefactarum coniunctione ortum esse putant, falli demonstrat.

Nam velut arguti natura est aeris, — et igni
Cum domitum est, constat eademque et robore salvo,
Utramque ut possis aeris cognoscere partem: —
Haud aliter lapis ille tenet — seu forte madentes
Effluit in flammas, sive est securus ab illis —
Conservatque notas nec voltu prodidit ignes.

Secutus sum in describendis his versibus exemplar Iacobi. Is post *cum domitum* rectissime nec sine codicum iudicio *est* addidit. Deinde in commentario suo, improbans quod versu tertio e codice Rehdigerano editionibusque antiquis compluribus receperat *utramque ut*, probabilius esse iudicavit *ultra quam*, idque propius accedit ad *ultraque ut*, quod in Helmstadiensi libro invenitur: verum ne *ut* quidem eius neglegendum erat. Eodem versu reiecit Clerici *partem*, quod sane ineptum est et minime conveniens inventum: sed cum *portam*, quod libri praebent, verum putat, *aeris* autem vocabulum in *ignis* convertit, ut dicat poeta non posse animadverti quod ignis labore et exitu in aeris natura mutatum sit, non possum ei amplius assentiri. Mutatione enim satis audaci, ne dicam temeraria, quid tandem efficitur nisi inexplicabilis paene oratio? Qua propter persuasum mihi est mirabile illud et importunum *portae* vocabulum non profectum esse a Lucilio: argumentum autem et sententiam horum versuum requiro hanc ut aes dicatur et igne liquefactum et salvo robore ita sibi constare, tam sui esse

simile, ut non possis cognoscere quomodo nascatur aes, num forte ex variis rebus colliquefactis conflctur. Quae cum ita esse videantur, hoc modo emendandam esse horum versuum depravationem existimo

Nam velut arguti natura est aeris, et igni
Cum domitum est constans, eademque et robore salvo,
Ultra quam ut possis aeris cognoscere partum:
Haud aliter lapis ille tenet etc.

Quod *constans* scripsi loco vulgati *constat*, mollire eo studui orationis et simul versus asperitatem: ceterum si quis *constat* servandum asseveret, opinationem meam acrius non defensitem. Ad priorem *et* particulam usitata et minime ineleganti neglegentia *eademque* refertur, alterum *et* idem est atque *etiam*. De eo autem dubitari potest, utrum *constans* vocabulum ita ut supra feci cum priore orationis parte copulandum sit, an, quod paene videtur esse elegantius, adiungendum posteriori, ut sola cogitatione ad priora verba assumatur, hoc modo *et igni cum domitum est, constans eademque et robore salvo.*

Versus 535 et qui sequuntur ita ab Iacobo conformati sunt

Quod si quis lapidis miratur fusile robur,
Cogitet obscuri verissima dicta libelli
Heracleiti, et ei nihil insuperabile gigni,
Omnia cui rerum naturae semina iacta.

Heracliti quidem nomen rectissime servaverunt codex Rehdigeranus et editiones quaedam veteres: sed improbo *et ei*, substitutum a Iacobo eis quae codices dant. Helmstadiensis enim liber *Eradicet ubi* habet, Rehdigeranus *Heracleiti ubi est*, editiones nonnullae antiquae, veluti ex Bembi potissimum exemplari transcriptae Aldinae,

Heracleiti et ibi, denique ille alter codex Rehdigeranus *Et dicet vero*, in quo emendandi conatus manifesto deprehenditur. Mihi *dicta libelli Heracliti* cum duplici suo genitivo casu valde displicent et quae in libris mendosissime scripta sunt audaciorem emendationem admittere videntur. Nimirum ita, nisi fallor, poeta locutus est:

Cogitet obscuri verissima dicta libelli
Heraclitei, nihil insuperabile gigni
Omnia quoi rerum naturae semina iacta.

Pronomine enim non magis opus est quam ipso *ignis* vocabulo. Quod sequitur *quoi*, Iacobo debetur.

Prius quam ab Aetnae emendatione desistam dicam breviter de v. 620 s. Describit ibi Lucilius flammas ex Aetna erumpentes nullique parcentes praeter nobiles illos fratres Catanenses sive Pios.

Cunctantes vorat ignis et undique torret avaros,
Consequitur fugisse ratos et praemia rapta
Increpat: aut nullis parsura incendia pascunt
Vel solis parsura piis.

Ascripsi hos versus quales Iacobus a poeta factos esse existimat: mihi quidem aliter emendandi videntur. Ac primum quidem quod scripsit *rapta*, ei ipse diffisus est: nam libri Helmstadiensis et melior Rehdigeranorum *ratis* habent, manifesto errore, sed ut *rapta* in eo latere minus sit veri simile: alter codex Rehdigeranus *raptis* exhibet: in editionibus veteribus *captis* scriptum est. Deinde *increpat* commentum est emendatoris: in sinceris codicibus *concremat* legitur. Porro *aut* scripsit Iacobus, cum libri *ac* vel *et* teneant. Quam mutationem ut faceret adductus mihi videtur vir doctissimus sensu quodam incommode conformatae orationis, ipsam depravationis

sedem attigisse non videtur. Nimirum non convenit futuri participio *parsura* quod sequitur *pascunt*: requiritur aut praesentis participium aut ut futuro aliud addatur verbum. Enimvero praestabilior ceteris codex Helmstadiensis (nam Florentinae membranae versu 289 finiuntur) non simpliciter *pascunt* exhibet, sed *pascunt*, *r* littera supra versum ab eadem, ut videtur, manu ascripta. Inde facillima oritur emendatio, haecce

Consequitur fugisse ratos et praemia raptus
Concremat, ac nullis parsura incendia pergunt
Vel solis parsura piis.

Revertor tandem ad Catullum. Cuius librum cum perpurgaret Lachmannus, tam prudenter omnia circumspexit ut ipse mihi videar arrogantior, cum uno aliquo loco egregiae eius emendationi aliquid ad perfectionem deesse dico. Etenim carminis LXIII versum 5 (39, 9), mirifice illum a librariis depravatum neque a quoquam probabiliter correctum, praeclare Lachmannus talem olim fuisse intellexit:

Devolvit ile acuto sibi pondere silicis.

Neque imminuitur emendationis veritas eo quod *ilia* singulari numero carere vulgo perhibentur. Id qui docuerit nullum novi veterem grammaticum praeter Fl. Sosipatrum Charisium, qui p. 72 P. '*alia*' inquit '*singularitate carent ut* exta arma castra moenia ilia scalae' etc. Non commemorant *ilia* Diomedes p. 315, Priscianus p. 663, Phocas p. 1708, Asper p. 1729, Donatus p. 1748, Augustinus p. 1990, Consentius p. 2030, nec qui uberius hunc locum tractat grammaticus Bobiensis Analectorum Eichenfeldii et Endlicheri p. 100. Si com-

munem usum spectamus, vere indicavit Charisius. Servius quidem *ile* singulariter dictum commemorat in commentario suo ad Virg. Aen. 7, 499, his verbis 'hoc ile et haec ilia *facit. Hinc et Iuvenalis* (5, 135) '*vis frater ab ipsis ilibus?*' *Nam quod Marullus mimographus dixit 'tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis;' cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen. Nam 'ab ili' debuit dicere.*' Repetiit haec ad ecl. 7, 26, ubi '*sicut etiam*' inquit '*in Aeneide dictum est*, hoc ile et haec ilia *facit. Unde etiam Iuvenalis ait 'vis frater ab ipsis ilibus?' Nam Marullus mimographus contempsit artem ad iocum movendum et parasito dixit 'tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.' Est autem hoc dictum per amaritudinem rusticam.*' Marullum quidem, cuius verba hoc modo accuratius transcripta videntur

tu ut Hector ab Ilio
Nunquam recedis:

nam uti ea prius Servius attulerat, multo minor est iambici metri elegantia: Marullum igitur ad *ilia* iocose alludere potuisse etiamsi non erat in usu singularis illius vocabuli numerus, facile largimur: quamquam Celsus 4, 1 saltem *iliis*, dativo plurali quasi ab *ilia* derivato, utitur, his verbis *vulva super rectum intestinum progressa iliis feminae latera sua innectit.* Accedit quod in glossariis veteribus a Labbaeo collectis reperitur *ilium (ileum)* λαγών. Sed dicat quis pluralis numeri formam qua Celsus usus est nihil valere ad singularem, in glossariis autem istis Latini vocabuli numerum ad Graecam vocem esse accommodatum, certe antiquam consuetudinem eis non posse demonstrari. Nec valde repugno.

Quid quod eandem numeri explicationem in promptu esse, cum eadem glossaria *ile* κῶλον sive *ile* λαγών suppeditant, ipsumque Servium *ile* non tam ex usu quotidiano quam ex grammatica doctrina hausisse minime negaverim. Verum illud affirmo atque assevero, poetarum licentiam non debere communi usu quasi artissimo vinculo astringi. Itaque mihi quidem persuasum est singulare nomen Catullum posuisse, castitate prae aliis commendatum et ipsa formae raritate et fortasse vetustate huic carmini, in quo altioris et antiquioris sermonis speciem studiose sectatus est, imprimis aptum. Sed puto tamen Lachmanni inventum unius litterae mutatione absolvendum esse. Etenim *devolvit*, quod in libris legitur, neque explicatum est adhuc tolerabiliter neque explicari posse existimo. Unde nulla mihi dubitatio est *devolsit* potius Catullum scripsisse. Qua emendatione dudum mente concepta miratus sum cum forte vidi quantillum Hieronymus Avantius ab invenienda veritate afuerit. Is enim *divellit* protulit, id quod deinde a compluribus editoribus acceptum est. Sed aberratum est hac coniectura ab iusta praepositionis forma: neque enim *divellendi*, sed *devellendi* verbum requiritur. Ut autem *devolsit* potius quam *devellit* reponendum iudicarem factum est eo quod *devolsit* propter ignoratam antiquiorem scribendi consuetudinem, oblitteratam novicio usu qui *devulsit* praetulit, in *devolvit* degenerasse manifestum putabam. *Vellendi* verbum duplex habere perfectum *velli* et *vulsi* satis tritum est grammaticorum observatione. *Velli* placuit Ciceroni et Virgilio et plerisque scriptoribus omnibus: sed etiam alterum illud antiquum est. Nam Laberium, eiusdem qua Catullus vixit aetatis poetam, Diome-

des p. 369 P. sic locutum esse narrat '*aliqua parte praevulserat.*' Eadem verbi forma, ut de recentioribus taceam, uti consuevit Lucanus. Dicit enim *vulsit* 6, 544. 559, *vulserat* 4, 414, *avulsit* 9, 763: quorum exemplorum non immemor fuit Priscianus p. 896 P. Non quaeram nunc praetuleritne Lucanus hanc perfecti formam quadam antiquioris sermonis imitatione: sed Catullum puto consulto eam admisisse, quod minus videretur communi usu pervulgata.

Ex proximo carmine (LXIV) post versum 23 sive inter paginam 42 et 43 aliquid excidisse, ex parte servatum ab interprete Veronensi Virgilii, supra significavi: nunc eiusdem carminis versum 28 (p. 43, 5) emendare conabor. Nam qua Peleum poeta appellat oratione

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

ea, sic scripta, mihi quidem intolerabilis videtur. Thetidem cum Neptuni sive Nerei filiam fuisse dicit Muretus, quo Neptunines appellationem explicet, acumen equidem et perspicacem intellegentiam desidero. Nam si poetae nonnunquam Nereo ea tribuunt quae Neptuni propria sunt, veluti, ut notissimo exemplo utar, apud Virgilium Aen. 2, 419 Nereus tridente fluctus excitat, nihil est quod quis miretur marinis deis simile munus assignari: at Catullum eo progressum esse indiligentiae ut Thetidem Neptuni filiam diceret, cum deberet Nerei, cui tandem credibile erit? Paullo probabilior est explicatio Iacobi Perizonii, qui animadv. hist. cap. 9, p. 409 Harl. Thetidem Nerei quidem filiam fuisse, non Neptuni, ita tamen a Catullo appellatam esse existimat, quod clarissima dea erat maris, cui Neptunus praeest. Sed vereor tamen ut

patronymico vocabulo Catullus hac ratione usus sit. Quocirca Apollodori facile quis meminerit, haec narrantis bibl. 1, 7, 4, 2 *Κανάκη δὲ ἐγέννησεν ἐκ Ποσειδῶνος Ὁπλέα καὶ Νηρέα καὶ Ἐπωπέα καὶ Ἀλωέα καὶ Τρίοπα.* Hoc enim pacto Thetis, Nerei Neptuno nati filia, Neptunine non male diceretur. Sed prorsus singulare est Nereum Neptuni filium perhiberi. In Trinummo quidem Plautina, 4, 1, 1, in codicibus Palatinis haec fere leguntur

Salsipotenti et multipotenti Iovis fratri et Nerei Neptuno,

fuerantque qui *Nerei Neptuno*, h. e. Neptuno Nerei filio, Plautum dixisse opinarentur: sed rectissime Bothius *Iovis fratri aetherei Neptuno* restituit. Apollodorus autem quid narraverit incertissimum est: codices enim Palatinus et Vaticanus non *Νηρέα*, sed *Νιρέα* exhibent. Itaque aut diversum a Nereo nomen Apollodorum posuisse puto, quod quale fuerit eruditioribus investigandum relinquo, aut, si verum est *Νηρέα*, nihil hoc nomen pertinere ad Nereum Ponti filium, patrem Thetidis et Amphitrites, uxoris Neptuni. Praeterea in versu Catulliano ad has interpretationis difficultates illud accedit quod *Neptunines* vocabulum mea quidem sententia grammaticae rationi repugnat. Nomen Latinum, exitus vocabuli Graecus. Patronymicorum in *ine* desinentium exempla magna industria Naekius congessit in Hecales c. 1 (mus. Rhen. a. 1834 p. 527 s.). Ea omnia Graeca sunt. Neque fugit hoc Priscianum, qui quae p. 586 P. docet, non incommode transcribere mihi videor. '*In ne autem desinentia,*' inquit '*quae sunt Iadis linguae, patronymica eiusdem generis* i

longam habent paenultimam, si principale non habuerit eandem i *vocalem, ut* Adrestos Adrestine, Nereus Nerine.' Commemoratur a Naekio Ἀγριππίνη, qua nominis forma Leonidas Alexandrinus usus est: sed Agrippina Graecum nomen ei esse videbatur. Itaque *Neptunine* et ratione caret et simili exemplo. Quare magnam Lachmanno gratiam habendam censeo quod quae codices praebent accurate exscripsit eoque viam patefecit certae, ut mihi quidem videtur, versus emendationi. Enimvero *Neptunine* nihil est nisi commentum librarii, depravatum vocabulum sine arte atque intellegentia ad aliquam certe significationem detorquentis. Talia aliquoties ausi sunt qui carmina Catulliana in codicibus exaraverunt quos propter universam eorum rationem sinceros dicimus. Quapropter quod in Dati codice invenitur *neptunne*, eo librarium *Neptunine* significare voluisse facile largior: sed e Laurentiano libro *neptine*, ex Santeniano *nectine* prolatum est. Quid multa? Scripsit Catullus

Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?

Nerine vocatur a Virgilio ecl. 7, 37 Galatea, una Nerei filiarum, quae Νηρῆναι a Graecis dicuntur saepius: exempla a Naekio collecta repetere nihil opus est.

Eiusdem carminis LXIV versus 344 (p. 53, 17) in libro Caroli Dati aliisque nonnullis codicibus vocabulo caret de industria omisso. Id misere depravatum conservarunt codices Laurentii Santenii et Laurentianus. Quorum hic ita scriptum hunc versum exhibet

Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen:

differt Santenii codex eo quod *tenen* habet, sed punctis

notatum, ascripto in margine *campi*. Verum *campi* nihil est nisi inventum grammatici pro monstruoso vocabulo, ideoque ab aliis librariis, ut saepe factum est, plane omisso, rudi arte substituentis quod saltem intellegi posset. Simili conatu in Parisino codice 7989 *trunci* suffectum est. Quod ut litterarum similitudine propius abest a deformi illo *teuen* sive *tenen*, ita ineptum est significatione. Mihi quidem in *uen* sive *nen* syllaba *vei* latere non dubium est: simili enim ratione in Catulli carminibus cum alia multa depravata sunt, tum *novei* p. 12, 8, pro quo in Santenii libro *nevem* scriptum invenitur: sed quod nonnulli inde elicuerunt *rivei* sive *rivi*, id vereor ne non sit aptissimum. Taceo paullo post, versu 357 (p. 53, 30), Scamandrum commemorari

Cuius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede,

ut hic aliarum rerum quam aquarum mentionem factam esse admodum probabile sit: verum manare rivi sanguine praeter linguae Latinae consuetudinem dici videntur. Etenim si Rufus Festus Avienus phaén. 780 haec dicit

Quin et caeruleo flumen quoque gurgite manans
Astra inter sedesque deum,

manifesto apparet ablativo casu rationem et speciem describi qua flumen illud caeleste profluere videatur. Contra ubi aliquid aliqua re manare ita dicitur, ut significetur defluere ab eo humorem, consentaneum est solidum illud esse quod humore manat neque ipsum fluere. Itaque sudore lacrimis sanguine, et ut quodque cuique convenit, facies manus arma campi manare tam saepe dicuntur ut pudeat exempla coacervare: manant autem

rivi sanguinis aut sanguis ipse rivis manat. Qui dixerit rivos sanguine manare equidem novi neminem. Quocirca quoad idoneo exemplo refellar Catullum sic scripsisse existimo

Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine olivei.

Quo facto reciperamus vocabulum aptum significatione litterarumque similitudine ad monstrum illud *teuen* prope accedens.

Ante quam hoc carmen relinquo, nonnullis eius versiculis eo utendum mihi videtur, ut Ciris quendam versum emendem simulque illam de qua supra dixi Catullianae orationis imitationem novo exemplo ostendam. Complura enim a grammaticis dudum observata sunt. Ciris igitur versus 240 in vulgatis exemplaribus hoc modo conformatus est

Quod si alio quovis animo iactaris amore.

Sed duplici ablativo casu Scaliger Heinsius Schraderus merito offensi sunt: quamquam coniecturae eorum alius emendationis, quae magis in promptu est, probabilitate superantur. Novissimus editor acquiescendum putavit in scriptura codicum Rehdigerani et Helmstadiensis, qui *animis* et *amorem* praebent. 'Quodsi aliorsum iactaris animo' (nam huius modi explicatio profertur) recte dictum esse concedo, sed accusativum casum *amorem* intolerabilem esse existimo. Dicendum potius erat

Quod si alio quovis animos iactaris amore.

Idque elegantis iudicii homo, Ioannes Schraderus, intellexit, cuius ea ipsa est coniectura. Ego vero ut plane non dubitem scripsisse poetam

Quod si alio quovis animi iactaris amore,

manifesta Catullianae dictionis imitatione adducor. Compara carm. LXIV versum 372 (p. 54, 15) *Quare agite optatos animi coniungite amores* et 330 (p. 53, 7) *Quae te flexanimo mentis perfundat amore:* verissimam enim duco Lachmanni emendationem.

Veniam me impetraturum sperò, si hac occasione data an arrepta aliorum nonnullorum Ciris versuum correctiones adiecero. V. 51 s. poeta se narraturum dicit quem ad modum Scylla in avem mutata sit,

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Pro patris solvens excisa et funditus urbe.

Haec enim suppeditant codices Helmstadiensis et Rehdigeranus qui eo tantum, ut videtur, ab altero differt quod *est* pro *et* particula manifesto errore habet. In vulgatis libris alter versiculus hoc modo scriptus est

Proque patris solvens excisa funditus urbe.

Facile agnoscitur interpolatio et offendit sane *patris urbs:* sed illud minime reprehenderim quod ascita hac versus reficiendi ratione in priore versu capillus nimis breviter et obscure sit commemoratus, quem patris fuisse capillum, non Scyllae, apertius declaratum esse oporteat. Aliter, opinor, loquendum est grammatico argumentum libri alicuius summario comprehendenti, aliter poetae carminis sui materiem indicanti et quasi praesignificanti lectoribus. Quod verum est unius litterae mutatione ex codicibus elicuisse mihi videor. Scripsit poeta

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Pro patria solvens, excisa et funditus urbe.

Versus 189 ss. vitium contraxerunt quod facillime negotio removeri posse existimo.

Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)
Nise pater, cui direptâ crudeliter urbe
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi extructo possis requiescere nido.
Tu quoque avis moriere, dabit tibi filia poenas.

Postremus versus quam esset inconcinnus intellexit Heynius: opus erat saltem particula aliqua adversativa, nisi mutila et hiantia loqui poeta voluit. Mihi vero odium, quo haliaeetus cirin quasi in sceleris vindictam persequi traditur, hoc versu non videtur respexisse, sed scripsisse

Tu quoque avis moriere, dabit tibi filia pennas.

Quippe in causa fuit Scyllae flagitium ut Nisus in avem mutaretur. Id significatur acumine non nimis venusto, ut verum fatear, sed quod huic poetae facile concesseris. Quod autem dicitur *tu quoque avis moriere*, pro eo quod simplex ratio requirit *tu quoque avis fies*, etsi mire dictum confiteor, propterea quod mori aliquem et mutari in avem inter se esse dissentanea facile intellegitur, tamen ne id quidem indignum videtur esse hoc carmine. Atque ut commode oratio progrediatur ad ea quae sequuntur (*gaudete* — *valueras:* — *venit carissima vobis* — *Ciris et ipse pater*), tam necessarius est hic versus ut omitti nullo modo possit. *Quoque* rectissime dictum: refertur enim ad Scyllam, quam in avem mutatam esse ipso narrationis initio (v. 48 ss.) satis indicatum est.

Versus 273 vulgo sic scribitur

Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae.

Verum etiamsi concesseris aluminae nomen ad nutricis significationem deflexisse, additum tamen ei *memoris*

qui possit commode explicari non video. Quid requireretur Iosephum Scaligerum fugere non potuit: itaque *memori* scribendum esse rectissime praecepit. Quo absoluta esset versus emendatio (non refellitur enim eo quod hiat *memori haustum*), nisi codices alio ducerent. Nam cum *memoris auctum* in eis reperiatur, non dubito quin sic poeta scripserit

Perque tuum memori suctum mihi pectus alumnae.

Significavi in mentem alicui venire posse ut *alumnam* dictam esse crederet nutricem, non quod probabilem hanc opinionem esse existimarem, quae necessaria reliqui versus emendatione redarguitur, sed quia certiora tamen huius abusus exempla inveniri videntur quam vulgo plerique putant. Atque Gesnerus quidem cum de vocabulis *alumni* et *alumnae* diligenter disputaret in thesauro suo, praeter grammaticos nonnullos Martiani Capellae mentionem fecit, sic loquentis l. 1, p. 11 *cycnus impatiens oneris atque etiam subvolandi alumna stagna petierat:* ego nunc addo quae Avienus dicit phaen. 502 *in latices inhiat gens fontis alumni,* 796 ss. *Pharium pars altera Nilum Commemorat, largo segetes quod nutriat amni Arentesque locos unda faecundet alumna,* orb. terr. 494 *Romanosque lares* (Tiberis) *lapsu praelambit alumno.* Sed Ciris v. 440 s. Nicolaus Heinsius recte emendavit.

Ad propositum reversus pergo ad comam Berenices, carmen Callimachium quod Catullus Q. Hortensii Hortali oratoris rogatu Latinis versibus expressit. Hortali nomen in codice Mediceo epistolarum Ciceronis ad Atticum 2, 25.

4, 15. cum aspiratione scriptum est, quam Catulliani libri omittunt. Id iure factum. Nam parcissime veteres aspiratione usos esse vel ex eis quae Quintilianus 1, 5, 20 disputavit satis constat. Pertinent huc quae Velius Longus p. 2230 P. refert. 'Hortus *quoque*' inquit '*non desiderabat aspirationem quod ibi herbae oriantur, id est nascantur: sed tamen a consuetudine accepit.*' Uberius loquitur Charisius p. 62 P. '*Graecus et* ortus *sine aspiratione dici debere Varro ait: et* ortum *quidem, quod in eo omnia oriantur,* Graccum *autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestaverat, aut a gracilitate corporis, ut quidam volunt. Sed consuetudo et* Gracchos *et* hortos *cum aspiratione usurpavit.*' Atque *orti* vocabulum sine *h* littera scriptum est in codice Gothano Varronis de l. Lat. 5, 21 (p. 105), pariterque 8, 5 (p. 402) *Hortensii* nomen in codice Florentino aspiratione caret. Callimachii igitur carminis, quod Ortali gratia Catullus Latine vertit, duos versus servavit interpres Arati p. 64, 6 Bek., hosce

ἠδὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

In quibus ὃν κείνη et θεοῖς Mureto, nisi fallor, debentur: in libris ὄντ᾽ ἄρα et θεοῖσιν invenitur. Praeterea Valckenarius ἠδὲ in ἤ με mutandum esse coniecit. Expressit autem Catullus hos versus, si codicibus fides habenda est, hoc modo (p. 56, 29 ss.)

Idem me ille Conon caelesti numine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam multis illa dearum
Levia protendens brachia pollicita est.

Caelesti numine etsi explicari posse non ignoro nec temere exturbandum censeo, fateor tamen non sine magna veri similitudine Canterum *caelesti lumine* praetulisse. Et placuit hoc Scaligero. Mihi vero consideranti illud Callimachium ἐν ἠέρι melior etiam videtur suspicio Isaaci Vossii, qui *caelesti in lumine* Catullum scripsisse ratus est. Similiter poeta locutus esse videtur v. 59 (p. 58, 21), si tamen verum ibi est *in lumine caeli*. Sed a depravatissimi illius versus emendatione prorsus me abstineo, ne operam pariter perdam ac perdiderunt omnes adhuc grammatici, neque hic *caelesti in lumine* verum esse praestem (nam qui possit ea res liquido confirmari?): verum aliud quiddam in his versibus depravatum esse paene pro certo dixerim. Longissime autem absum ab ea audacia qua Valckenarius hos duos versus

Fulgentem clare, quam multis illa dearum
Levia protendens brachia pollicita est,

commenticios esse suspicatus est et loco versuum hic olim scriptorum, qui in membrana veterrima vix legi potuissent, ab alio longe recentiore positos. Etenim cum saepe Valckenarius in delendis versibus consilio fuerit calidiore, ut mirer eum peritissimum hoc genus iudicem dici ab homine quodam doctissimo, tum fortasse nusquam magis audax et paene dixerim temerarius fuit quam in hac disputatione. Cum enim comam Berenices clare fulgentem sive Callimachum sive Catullum dicere potuisse negat propterea quod ἀμαυραί appellentur illae stellae ab Eratosthene in leonis catasterismo eis verbis quae scholiastes Germanici p. 53 Buhlianae editionis sic vertit Latine '*videntur aliae stellae obscurae septem*

iuxta caudam eius, quae vocantur crines Berenices,' hoc cum dicit, bilem commovet inani subtilitate. Neque serio locutum esse credo virum praeclarum, quem nefas est putare adeo unquam privatum fuisse omni venustatis sensu ut non videret claras dicere debuisse illas stellas Callimachum, etiamsi essent obscurissimae. Deinde mirum est quod quaesivit cur fingeretur Berenice in pollicitatione sua brachia protendere. Id enim facere qui deos precantur ex ipsis Homericis carminibus notissimum est. Verum illud tamen Valckenarius rectissime intellexit, *multis dearum* dictum esse ineptissime. Ac primum quidem non congruunt Callimachia βόστρυχον ὅν κείνῃ πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς, a quorum verborum sententia cur desciverit Catullus nulla causa excogitari potest. Sapienter enim Naekius admonet, Hecales cap. 6, p. 13, optabile esse ut si quando liberius egisse poeta Latinus deprehendatur, idonea ratione cur ita egerit monstretur. Deinde ineptum est parti potius dearum quam aut uni deo deaeve aut omnibus deis deabusque reginam capillum se daturam vovere. Denique cum versu 33 (p. 57, 25) poeta interruptam digressione orationem repetit, haec dicit

Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset.

Conveniunt haec cum Callimacheis, adversatur autem eis superior versiculus. Quam ob rem depravatum eum esse existimo. Scripserat, nisi fallor, Catullus

Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
Levia protendens brachia pollicita est.

Ac *deorum* quidem edita nonnulla exemplaria suppeditant,

nescio grammatici consilio an casu, nam codices omnes *dearum* praebent. Sed exigua utique mutatio: et tenendum est in eo litterarum genere quo Catulli illud antiquum exemplar saeculo nono vel decimo exaratum esse pluribus indiciis patet, simili quidem illo quodam modo Longobardicae scripturae, *o* et *a* litterarum satis proclivem esse permutationem. Itaque p. 44, 24 *Androgeaneae* codices habent loco veri *Androgeoneae* et p. 50, 24 quod in Dati libro invenitur *divulso*, id in antiquo codice *divolso* fuit. Non maior est *cunctis* et *multis* vocabulorum dissimilitudo. Dicendi autem rationem, quam Catullo tribui, etsi uno tantum approbare possum exemplo, noto illo Ovidii met. 4, 630

Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans
Iapetonides Atlas fuit,

tamen nihil impedire videtur, quo minus eodem modo Catullum locutum esse existimemus.

Quem ad modum autem Valckenarium in Catulli illo versiculo depravationem recte animadvertisse puto, sed abreptum esse aestu quodam ingenii ut ferro secare mallet quam lene et quod satis in promptu erat mali medicamentum quaerere, ita alium errorem itidem a se animadversum non ea ratione explicavit quae et probabilis admodum esse mihi videtur et ab hoc ipso Catulli carmine Callimachio suppeditatur. Etenim in Hygini poeticon astronomicon l. 2 cap. 24, postquam dictum est de coma Berenices, haec adduntur *Hanc Berenicem nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemaeum, Berenices patrem, mul-*

titudine hostium perterritum fuga salutem petiisse, filiam autem, saepe consuetam, insiliisse in equum et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse: pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit et virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo solveret iussisse reddi et inter eas constituisse petitionem. Separavit haec ab antecedente Hygini narratione Valckenarius et videntur sane ab recentiore aliquo grammatico esse addita, quem ad modum multas grammaticorum annotationes Hygini libris accessisse probabile est. Sed quicunque fuerit qui haec scripsit, illud apparet, et viderunt interpretes, usum eum esse Catulli carmine. Nam cum *magnanimam* Berenicem a Callimacho appellatam esse dixit, sumpsit hoc vocabulum ex Catulli versu 26 (p. 57, 18). Deinde quod de virginibus Lesbiis narratur, recte animadvertit Valckenarius ad eandem rem pertinere videri ea quae in scholiis Arateorum Germanici leguntur *Videntur aliae stellae obscurae septem iuxta caudam eius, quae vocantur crines Berenices, et sunt earum virginum quae Lesbo perierunt.* Sed quid illud esset quod de virginibus Lesbiis Eratosthenes in Mercurio suo narraverit nec Valckenarius neque quantum scio quisquam alius indagavit. Itaque haec quidem in medio relinquamus. Sed falsum esse quod perhibetur Berenice equos aluisse et ad Olympia mittere consueta fuisse persuasum mihi est: quamquam quae Valckenarius de hac re disputat, ea non possum probare. Negat regis Aegyptii aut huius fratris filiam equos trans mare mittere solitam esse ad Olympia. Verum esto: sed ra-

tionem tamen cur non potuerit fieri nullam video. Itaque acquiescerem in Hygini narratione, nisi commenticiam eam esse et simul unde orta sit probabili ratione demonstrari posse existimarem. Non dico illam rationem quam Valckenarius excogitavit, ea commemorans quae de Callipatira narrantur, hanc enim φερενίκην appellatam esse Pausaniam (5, 6, 7) tradere. Incredibilis confusio: praesertim cum spectaverit tantum modo Olympia illa Pherenice. Longe faciliorem emendationem illud ipsum Callimachium Catulli carmen praebet quod lectum fuisse a grammatico supra indicavi. Nam cum Callimachum narrationis auctorem nominet, aio ei obversatos esse difficiles illos et ab Vincentio demum Montio recte explicatos versus 51 ss. (p. 58, 13):

Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Locridos ales equos.

Quae cum intellegere non possent librarii nec viderent *equos* esse nominativum casum, scripserunt *alis equos*: idque in Laurentiano codice legitur et legebatur fortasse in prisco exemplari. Hoc igitur *alis equos* vel *ales equos* grammaticum induxisse videtur ut equos aluisse et ad Olympia misisse Berenicem somniaret. Quid de reliqua eius narratione statuendum sit alii indicent: mihi quidem pariter videtur esse commenticia.

Redeo ad Catullum, a quo ne discessi quidem longius. Et volo nunc minutas quasdam quaestiones, non indignas tamen consideratione, breviter perstringere. Ac primum quidem in proximo carmine LXVII, v. 25 ss. (p. 60,

21 ss.), impius aliquis homo filii sui cubile violasse dicitur:

Sive quod impia mens caeco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quaerendus et unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

In his *et unde*, quod posui, in Parisino codice legitur: Dati liber *ut unde* praebet, Santenianus *et* sive *ut* plane omittit: Itali fere *quaerendum unde* scripserunt: alii aliter hiatum tollere studuerunt. Sed scite Lachmannus intellexit *quaerendus* esse verissimum coniungendumque cum eo *unde*, nota satis dicendi ratione. Verum is tamen eius minime possum probare propterea quod facilior versus emendatio praesto est. Nam quod in Parisino libro invenitur *et*, ex eo verum elicere videor, cum scribo

Et quaerendus ei unde foret nervosius illud.

Sic disiunctionis ratio magis etiam elucet. Aut ipse ille senex impia cupiditate flagrabat, aut rogatu inertis filii nurum stupravit. Non opus *is* pronomine: synaloephe autem plane Catulliana.

Leve item est quod de carminis LXVIII versu 158 (p. 66, 18) proferam. Apprecatur ibi Catullus felicitatem ei

— *qui principio nobis terram dedit aufert,*
A quo sunt primo omnia nata bona.

Haec est enim proborum codicum scriptura. De priore versu, in cuius emendationem et explicationem interpretes multum operae contulerunt, nihil habeo quod affirmare audeam: sed in altero versiculo hiatum tolerari posse nego, cum nunquam Catullum pentametri caesuram hiatu vel

brevi syllaba depravasse persuasum habeam. Nam carm. LXVI v. 48 (p. 58, 10) rectissime Politianus *Chalybon* scribi iussit et carm. LXVII v. 44 (p. 61, 10) Italorum *speraret* orationis quoque elegantia commendatur. Itaque scribendum illic existimo

A quo sunt primo mi omnia nata bono.

Paullo plus momenti habet quam invenisse mihi videor carminis CVII emendationem. Dicuntur ibi haecce (p. 75, 1 ss.)

Si quicquam cupido optantique obtigit unquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.

Rectius haec ita conformavit Lachmannus quam ei qui post *gratum* interpunxerunt: quo intolerabilis efficitur oratio. Si deletur illa interpunctio et *gratum* substantivi significationem habere existimatur, intellegi verba posse concedo, poetam decere nego. Qua usus fuerit Catullus orationis forma Achillem Statium recte sensisse puto, cum scriberet *nobisque hoc*. Sed lenius et vero etiam elegantius ita corriguntur verba ut scribatur

Quare hoc est gratum nobisque est carius auro.

In *quoque* particula saepissime menda latent: atque ut hic *nobis quoque* ex *nobisque ē* ortum esse suspicor, ita Lachmannus carm. XXXI v. 13 (p. 16, 29) eadem particula *vosque o* obliteratum esse perspexit. Sed de his levioribus quaestiunculis ad graviora me converto.

Praeclari sunt enim versus elegiae, quam ad Manium Allium Catullus scripsit, 57 ss. (p. 63, 8 ss.)

Qualis in aerio perlucens vertice montis
Rivus muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

Ibi quod Santeno scribendum videbatur *de prono-colle*, merito reiecit Huschkius ep. crit. ad Laur. Sant. p. 95. Nam rivus, qui in alti montis vertice prosiluit, de colle deorsum volvi multo minus concinne dicitur quam de prona valle, h. e. per declives fauces convallium: haec enim simplicior atque aptior interpretandi ratio videtur quam quae Huschkio placuit, vallem in monte dictum existimanti locum depressum unde aqua collecta maiori deinde vi per scopulos ageretur. *Scopuli* videlicet pro vulgato *populi* substituendum censuit. Commendavit hoc Lachmannus: nihilo tamen magis assentiri possum. Consentaneum est enim rivum qui per praecipitem vallem devolutus est, itaque in planitiem pervenit, eluctatum esse scopulos, ut hic quidem praepostera sit eorum commemoratio. Accedit quod ne oratio quidem satis pulcra, satis digna esse videtur Catullo. Nam quin *densi scopuli iter* Graeca ratione pro *itinere scopuloso* Catullus dixerit iure dubitare mihi videor, certe similiter nusquam locutus est: si autem putas mutato enunciati regimine, ut aiunt grammatici, ipsius iter rivi transire dici per medium scopuli, abhorret hoc a simplici poetae venustate. Tertiam explicandi viam ipse Huschkius iniit. Putavit enim hanc esse verborum structuram ut per medium densi scopuli rivus iter suum transire dicatur. Verum enimvero si *ire iter*, *ire viam* saepius scriptores Latini dixerunt

(nam talia comparat Huschkius), non sequitur inde *transire* quoque *iter* eos eadem plane ratione dixisse. Transit iter aut qui viam aliquam transmittit, aut is qui iter suum per omnem eius longitudinem transeundo conficit. Vides alia tam ratione accusativum casum ad transeundi verbum appositum esse quam qua Huschkius fieri voluit. Atque iter suum transire, h. e. emetiri, rivum recte dici nihil quidem dubito, sed in Catulli versu ita comparata est oratio, ut et transeundi verbum minus aptum videatur et quivis *medium iter* coniungat, non *medium scopuli*, praesertim apud hunc poetam, qui impedita et contorta omnia defugere solet. Denique ne illud quidem probo quod Huschkius *densum* suum *scopulum* ita explicavit ut esse diceret arbore opertum. *Densos colles* recte sic dixit Tibullus 4, 3, 7: contra *scopuli* vocabulo nuda potius et vacua arboribus et virgultis rupes significatur. Quocirca *densum scopulum* putarem artas potius esse et confertas rupes, nisi Huschkii coniecturam omnino improbarem. Sed rectissime unus Huschkius intellexit intolerabile esse *densi iter populi*. Etsi enim hoc ita explicatum scio quasi esset via quam celebrat et frequentat populus, tamen ut aptum hic esse credam illud adiectivum *densi*, cuius istaec remissior quasi interpretatio est, minime mihi persuadetur. Tantum abest enim ut non videatur nimium et incommodum, ut ne cum sequentibus quidem verbis ita ut oportet congruat. Ibi poeta viatorem describit aestivo itinere defatigatum, itaque si minus aperta verborum significatione, at ipsius tamen rei ratione efficitur ut per desertam potius solitudinem, ubi gratissimum est si quis rivus obviam fit lasso et sitienti, quam per densam hominum multitudinem

incedentem videre nobis videamur. Itaque densus ille populus imaginem quae animo nostro obversatur perturbat eiusque venustatem pervertit: id quod Huschkius pulcre perspexit. Quae cum ita sint, illud ipsum *densi* vitiosum esse mihi videtur. Quo intellecto non difficile est carminis venustatem restituere. Describitur, nisi magnopere fallor, rivus primum in vertice alti montis prosiliens, deinde per praecipitem vallem deorsum sese volvens, denique in planitie viam aliquam cursu placidiore et pedetentim transiens. Quod sic expressisse Catullum puto

Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium sensim transit iter populi.

sensi et *densi* vocabulorum eo facilior erat permutatio, quo saepius viderant librarii adiectivum, quod ad substantivum nomen in fine pentametri positum pertineret, in medio versu aequabili verborum structura veluti e regione collocatum esse. Quae sensim fieri dicuntur, ita fiunt, ut ea fieri sentiamus. Itaque usitatum est hoc adverbio progressionem rei significari, quae inde a parvo initio paullatim crescit, nec subito fit, sed augetur continuo atque ita tandem perficitur. Neque tamen raro sensim fieri dicuntur etiam ea quae tarde fiunt, nulla ut initii et progressionis habeatur ratio. Sic Cicero locutus est Phil. 2, 17 (42) *ille sensim dicebat quod caussae prodesset, tu cursim dicis aliena.* Non aliter Appuleius 1, p. 117 Elm. Fotidem dicit spinam quatere *lumbis sensim vibrantibus,* et magis etiam quam haec et multa similia cum Catulli versu comparari possunt Plauti verba, Cas. 4, 4, *sensim super attolle limen pedes, nova nupta.* Itaque apud Catullum hoc adverbium *sensim,* quoniam lente rivum procedere signi-

ficat, satis demonstrat pervenisse eum in planitiem. Atque ut planitiem cogitatione informemus adducimur etiam eo quod adiectum est *iter populi:* nam cum in montibus calles tantum sint et semitae, apparet non sine causa *populi* mentionem fieri. Denique pulcre congruit illa temporis definitio *cum gravis exustos aestus hiulcat agros.* Quae non tantum tempus aestivum describunt, sed cum omni imagine qua poeta usus est tam arte cohaerent ut per hos ipsos sole exustos agros viatorem incedere intellegamus. Quare si *sensim* probas, vides Catullum mira plane arte orationem ita conformasse ut omnia apta essent inter se et convenientia. Et nunc tandem penitus perspici opinor quantum Huschkii *scopulo* ad restituendam carminis venustatem desit. Ipsa autem comparatio cum in eo posita sit, ut dicat Catullus tantam lacrimarum sese profudisse copiam quanta ubertate rivus prosiliat, quod deinde rivus per vallem se devolvens et per planitiem lento cursu fluens describitur, nihil quidem ad lacrimas pertinet neque quicquam ad declarandam similitudinem affert momenti, sed suavi digressione et propositi quasi oblivione lectores fallit. Consimili Catullus venustate, ab ipso comparationis momento ita digressus ut dilataret imaginem et per singula persequeretur, carmen quod ad Ortalum scripsit his versibus conclusit

Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio;

Quod miserae oblita molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

In hac comparationum instituendarum et persequendarum arte quemnam Graecorum poetarum Catullus, elegantissimus in summa ingenii ubertate imitator, secutus fuerit, etsi non iniucundum fore existimo, si possit indagari, decrevi tamen hanc quaestionem, quoniam cum aliarum rerum complurium pervestigatione coniuncta est, peculiari disputationi reservare.

Itaque pergo ad carmen LXXI, quod totum ascribendum censui, quoniam de singulis disputari nequit, nisi perceptum sit antea universe quo illud consilio Catullus scripserit.

Si quoi, Virro, bono sacrorum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Sic haec scripsit Lachmannus, partim Italorum coniecturas secutus, partim codicum errores, quorum difficilior et minus certa videretur emendatio, caute servans. *Quoi* Italos recte scripsisse, cum codices antiqui exemplaris similiores *quo* sive *qua* haberent, dubitari non potest propter omnem verborum constructionem. Ab eisdem Italis profectum est *sacer alarum*, quo absurdum illud *sacrorum* concinne emendatur. Et videor mihi hanc emendationem probabili argumento posse confirmare. Isi-

dorus enim Hispalensis in libro de differentiis sermonis t. 5 p. 63 Arev. 'sacrum' inquit '*duo significat, et bonum et malum. Bonum, ut illud 'Inter flumina nota et fontes sacros:' malum, ut 'Auri sacra fames' et 'Sacrae panduntur portae' et 'Leno sacer' et 'Sacer hircus.'* Ultimum hoc *sacer hircus* Breulius p. 213ᵇ ed. a. 1617 Ovidii esse significavit. Sed non reperitur apud Ovidium, qui omnino *hirci* vocabulum nusquam videtur usurpasse. Quare cum *sacer hircus* vix dubitari possit quin teter axillarum odor dicatur, Isidorum autem Catullum legisse constet, sumpsisse eum puto illud exemplum ex hoc ipso Catulli carmine. Quod deest ad emendationem, *alarum* ab Italis inventum praestat. Itaque *sacer alarum hircus* Lachmannus in ipsa poetae verba recipere fortasse poterat. Sed *Virro* vellem in annotatione potius quam in Catulli oratione collocasset. Hoc quoque, cum in codicibus *viro* scriptum esset, Itali excogitaverunt, sed ut non possim assentiri. Non urgeam illud, non inveniri hoc nomen in alio Catulli carmine: notum est enim atque satis usitatum. Veluti in Ciceronis versibus, quos Quintilianus 8, 6, 73 affert, munitum est librorum auctoritate. At hoc moleste fero quod, *Virro* si probamus, alius etiam vocabuli mutatio requiritur. Nam *bono*, nisi aliud quid accedit, nihil potest significare. Non inepte igitur Guarinus *homini* scribendum esse existimavit. Verum tamen si quis hoc carmen quantumvis depravatum accuratius consideret, intelleget, opinor, hoc dicere Catullum 'si unquam cuiquam homini merito contigit ut hirco et podagra laboraret, aemulus iste tuus utrumque malum meritissimo et poena iustissima nactus est. Nam

quotiens rem habet cum illa quondam tua puella, ulciscitur iniuriam tibi illatam: punit enim odore suo puellam et se podagra.' Itaque *merito* adverbii, quod altero versiculo legitur, praecipuam esse vim manifesto apparet. Quocirca etsi non pernegaverim equidem fieri potuisse ut Catullus hoc vocabulum *merito* ad antecedentia quoque verba referret, tamen cum tota carminis ratio id quod potissimum est gravius inculcari paene postulet, quid potest esse similius veri quam in priore etiam versu meritum similiter significatum fuisse? Hieronymus igitur Avantius et ante eum Palladius Fuscus id quod omnes numeros veritatis in se habet invenisse mihi videntur, cum scriberent *Si quoi iure bono.* Non possum equidem alium producere scriptorem qui dixerit *iure bono:* verum aliquoties legimus *iure optimo*, et cur superlativo gradu Catullus uti non potuerit sponte intellegitur. Deinde ne quis *Virro* propterea praeferat quod postulet veterum scriptorum Latinorum pariter atque Graecorum consuetudo ut ne careat nomine carmen quod ad certum aliquem hominem scriptum est, nonnunquam migratam esse hanc legem animadverti. Veluti ipsius Catulli carmen CIV (p. 74, 23 ss.) caret nomine: nam postremum eius versiculum *Sed tu cum Tappone omnia monstra facis* male quidam attentarunt. Itaque quem ad modum illic *tu* pronomen Catullus posuit etsi nullum antecessit nomen, ita in carmine LXXI dixit *aemulus iste tuus.* Sed quartus huius carminis versus magnam habet difficultatem. *Mirifice est a te nactus utrumque malum.* Vereor ut haec ullo modo explicari queant. Putarunt alii *a te* vocabulis contagionem significari, alii vota et preces. Utraque interpretandi

ratione detorquentur verba ad sententiam aliquam quae prorsus aliena est ab hoc carmine. Neque Mureti *astu*, Vossii *ac tu*, Turnebi *tactu* quicquam proficiunt. Melior videtur Handii coniectura *adeo*. Sed primum non satis facilis est mutatio, praesertim cum Handius *Nam*, quod sequitur, simul mutet atque, ut aliquo tamen modo apte verba cohaereant, *Iam* scribat. Deinde quod mirum in modum hirco et podagra laborasse aemulum illum putat, non pertinet hoc ad acumen epigrammatis, indicatum satis antea *merito* vocabulo. Denique vereor ne *mirifice aliquid nancisci* non sit dictum Latine: saltem obscure dictum est et insolenter. Quare indagandum mihi aliquid videtur quo quasi coniungantur inter se *meriti* significatio et *ulciscendi* verbum. Scripsisse igitur Catullum existimo

Mirificast Ate nactus utrumque malum.

Mirifica Ate, h. e. mirifico Poenae supplicio, mirifica deorum iustitia. *Mirifice est* ex *mirificast* eodem errore ortum esse puto quo p. 66, 19 Dati liber *ipsost* in *ipse est* convertit. Sed dicat quispiam Aten non punire maleficia, sed occaecare quasi homines eosque in inconsiderantiam et vecordiam atque inde in culpam et damnum impellere. Atque est hoc profecto Ates munus in Homericis carminibus. Quid quod, ne apud tragicos quidem poetas Atas ultrices esse deas, sed ἄτην culpam esse et damnum ex culpa nascens atque utriusque praesidem deam Godofredus Hermannus, vir perillustris, docuit annotatione sua ad Soph. El. 111. Sed affinis tamen est nonnunquam, nisi fallor, ἄτης significatio poenae. Veluti Aeschylus dixit Choeph. 375 ss. Ζεῦ Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων ὑστερόποινον ἄταν βροτῶν

τλήμονι καὶ πανούργῳ χειρί. Intellegit quidem damnum ex culpa nascens, sed simul *ἄτην* culpam ulcisci ait. Sed postea qui fuerunt poetae, eos *Ἄταις* et *Ἐρινύσιν* idem fere munus tribuisse existimo. Testantur id Rhiani versus, poetae, ut usitato nomine dicam, Alexandrini, quod genus poetarum Catulli aetate a Romanis imprimis studiose lectitari coeptum est. Ascribendam duxi totam illam carminis particulam, servatam a Stobaeo tit. 4. In Nicolai Saalii collectione leguntur hi versus p. 66.

Ἦ ἄρα δὴ μάλα πάντες ἁμαρτίνοοι πελόμεσθα
ἄνθρωποι, φέρομεν δὲ θεῶν ἑτερόῤῥοπα δῶρα,
ἀφραδέϊ κραδίῃ. βιότοιο μὲν ὅς κ' ἐπιδευὴς
στρωφᾶται, μακάρεσσιν ἐπὶ ψόγον αἰνὸν ἰάπτει,
ἀχνύμενος· σφετέρην δ' ἀρετὴν καὶ θυμὸν ἀτίζει,
οὐδέ τι θαρσαλέος νοέειν ἔπος, οὐδέ τι ῥέξαι,
ἐῤῥιγώς, ὅταν ἄνδρες ἐχεκτέανοι παρέωσιν·
καὶ οἱ θυμὸν ἔδουσι κατηφείη καὶ ὀϊζύς.
ὃς δέ κεν εὐοχθῇσι, θεὸς δ' ἐπὶ ὄλβον ὀπάζῃ
καὶ πολυκοιρανίην, ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν
ποσσὶν ἐπιστείβει, θνητοὶ δέ οἱ εἰσὶ τοκῆες,
ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἁμαρτωλῇσι νόοιο
ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει,
καίπερ ἐὼν ὀλίγος· μνᾶται δ' εὔπηχυν Ἀθήνην,
ἠέ τιν' ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται Οὔλυμπόνδε,
ὥς κε μετ' ἀθανάτοις ἐναρίθμιος εἰλαπινάζῃ.
ἡ δ' Ἄτη ἁπαλοῖσι μετατρωχῶσα πόδεσσιν
ἄκρῃς ἐν κεφαλῇσιν, ἀνώϊστος καὶ ἄφαντος,
ἄλλοτε μὲν γραίῃσι νεωτέρη, ἄλλοτε δ' αὖτε
ὁπλοτέρῃσι γρηῢς ἐφίσταται ἀμπλακίῃσιν,
Ζηνὶ θεῶν κρείοντι Δίκῃ τ' ἐπίηρα φέρουσα.

Itaque Rhianus certe, si quid video, in apertissima Ho-

meri imitatione nonnihil deflectens Atae et Poenae consimile munus tribuit. Quocirca postremos versus Hugo Grotius hac ex parte recte sic expressit Latine

Interea, sperata prius spectataque nulli,
Lentos certa gradus, sedet ipso in vertice Poena
Et vel anum simulans culpis iuvenilibus instat,
Vel culpas sequitur veteres, mentita puellam,
Iustitiae magnique Iovis mandata capessens.

Illud fortasse animadvertere licet, Rhianum, et si qui similiter locuti sunt poetae Alexandrini, Poenis atrociorum scelerum supplicia attribuisse, Atis maxime superbiae. Confirmatur hoc inscriptione Campana, cuius notitiam Furlanetto debeo, edita illa primum a Camillo Peregrino hist. Camp. diss. 4, deinde a N. Ignarra comm. de phratriis p. 200. Quae his verbis concepta est

ΔΕΣΠΟΙΝΗ ΝΕΜΕΣΕΙ
ΚΑΙ ΣΥΝΝΑΟΙΣΙ ΘΕΟΙΣΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟΣ ΚΑΘΕΙΔΡΥΣΑΤΟ
IVSTITIAE NEMESI
ATIS QVAM FOVERAT ARAM
NVMINA SANCTA COLENS
CAMMARIVS POSVIT

Praeterea si *Ate* eam quam in Homericis carminibus habet semper retinuisset significationem, ut dea esset culpae et damni praeses, vereor equidem magnopere ne mali ominis declinatio, quam veteres quaerere consueverunt, obstitisset quo minus illud nomen in hominum appellationem abiret. Atqui haud ita raro invenitur in inscriptionibus *Ate*, feminae nomen pariter ac *Nemesis*. Quae cum ita sint, existimo Catullum, quem ad modum carm. L v. 20 (p. 26, 3) Nemesis mentionem fecit

in re iocosa, sic Aten quoque commemorasse ita ut eam ulcisci iniuriam diceret.

Finem disputandi faciam eo ut dicam nonnihil de carminis XCV versu 5 ss. (p. 72, 11). Laudat ibi Catullus Smyrnam, carmen C. Helvii Cinnae, his verbis

Zmyrna cavas satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.
At Volusi annales paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

De quorum verborum emendatione et interpretatione quantum laboraverint grammatici commemorare nihil attinet, cum codices ea praebeant quae verissima esse putem. Neque opus videtur esse cautione qua Lachmannus usus est, cum ita scriberet *satrachi* et *paduam*, ut ne maioribus litteris incertae rei difficultatem obtegeret. Nam Satrachum fluvium esse Cyprium Weichertus rell. poet. Lat. p. 179 monstravit allatis eis quae Tzetzes ad Lycophr. v. 448 annotavit Σάτραχος πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. τινὲς δὲ διὰ τοῦ ε γράφουσι Σέτραχον. Sequitur ut Paduam quoque flumen esse ostendamus. Neque opus est nostra qualicunque doctrina: dudum recte hoc explicatum est. Miror enim neglectum esse ab interpretibus Robertum Titium, qui loc. controv. 10, 3 (p. 251) Polybii commode meminit haec de Pado narrantis 2, 16 (p. 104[d]) σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα. Vituperavit hanc explicationem, fortasse suae cuiusdam coniecturae amore inductus, Ivo Villiomarus sive Iustus

Iosephus Scaliger in locos controversos Rob. Titii animadversorum libro, p. 185, iussitque Polybio vulgare nomen Padusae reddi. Idem fecit Cluverius. Sed mihi quidem quae codices dant in utriusque scriptoris libro (nam tenent *Παδόα* omnes codices) vicissim omnem mutationis periclitationem defendere videntur. Itaque recte Titius Scaligero oblocutus est assertionis p. 204 s. Verum in eo tamen reprehendendus est quod *Padoam* in Catulli carmine scribendum esse asseveravit: illa enim altera vocabuli forma magis videtur esse Latina, certe non temere attentanda. Sed Volusius iste, quem Transpadanum fuisse probabiliter existimabimus, quis tandem fuit? Non puto me temeritatis insimulatum iri, si dixero significari hoc nomine Tanusium Geminum. Carmine enim XXXVI Catullus eosdem eiusdem Volusii annales cacatam chartam appellat. Cuius dicti nemo non meminerit, cum legit quae Seneca dicit ep. 93 *Non tam multis vixit* (Metronax philosophus) *annis quam potuit. Et paucorum versuum liber est et quidem laudandus atque utilis. Annales Tanusii* (hoc enim verius videtur quam *Tamusii*) *scis quam non decori sint et quid vocentur. Aeque est vita quorundam longa et quod Tanusii sequitur annales.* Cacatam chartam intellegi non fugit Iustum Lipsium. Quo magis miror non vidiisse eum verum nobis Volusii nomen Senecam praebere. Idem est vocabuli exitus, eadem, ut credere par est, mensura: ut plane congruat illa Bentleiana fictorum nominum regula. Denique Catulli tempore Tanusium vixisse tam credibile est ut paene certum dixerim. Etenim Suetonius Iulii c. 9 refert quae de Caesaris et M. Crassi Publiique Sullae et Autronii conspiratione Tanu-

sius Geminus narraverit in historia. Commemorat autem Suetonius in vita Caesaris auctores narrationis suae praeter ipsum Iulium hosce: M. Bibulum c. 9. 49, C. Curionem c. 9. 49. 52, Ciceronem c. 9. 30. 42. 49. 55. 56, Asinium Pollionem c. 30. 55. 56, Licinium Calvum, Dolabellam, C. Memmium, M. Brutum c. 49, C. Oppium c. 52. 53. 72, Augustum c. 55. 56, Hirtium c. 56, Cornelium Balbum c. 81. Itaque cum hi omnes Caesaris tempore vixerint, ut M. Actorium Nasonem et T. Ampium, quorum mentio fit c. 9. 52. 77, ita Tanusium quoque Caesaris et Catulli aequalem fuisse consentaneum est. Tanusium commemorat etiam Plutarchus Caes. 22. Videtur autem Tanusius primum aliorum poetarum exemplo annales edidisse, carmen inelegans et quod placere non posset, deinde post Caesaris mortem historiam scripsisse. Longum opus fuisse annales Senecae verba satis demonstrant. Quo magis percipimus quam apte eos Catullus Smyrnae Helvii Cinnae opposuerit. Nam Smyrnam carmen fuisse haud ita magnum inde colligere possumus quod dicit Catullus Cinnam novem annis eam elaborasse, cum interea Hortensius milia quingenta carmina, h. e. innumerabiles versus, uno saepe die funderet. Eius modi enim aliquid amisso illo paginae 72 versu decimo dictum fuisse apparet. Neque grammatici, qui ex Smyrna versus excerpserunt, libros commemorant, sed totum carmen libellum appellat Servius ad Virg. ecl. 9, 35. Duos Catulli versiculos

Parva mei mihi sint cordi monumenta ....:
At populus tumido gaudeat Antimacho,

cum carmini XCV adiuncti essent antea, scite Lachmannus separavit. Nihilo minus parvorum monumentorum

nomen ad Cinnae carmina referendum esse credo, si recte Hieronymus Avantius priori versiculo addidit *sodalis*. Atque sodalem suum Catullus Cinnam apellat carm. X, 29 s. (p. 6, 24 s.). Ex quo carmine non absurde colligere mihi videor Cinnam simul cum Catullo in Bithynia fuisse inter comites C. Memmii Gemelli praetoris.

IMPRESSIT C. P. MELZER.